COMICI.

A ☞ *Tres comœdiæ narrantur ætates. Una vetus, quo tempore summum imperium penes populum Athenis fuit. Idcircò licuit illius sæculi Poetis risum aucupari ex quocunque genere jocorum, sive ii sale, sive acerbitate aspersi essent. Non enim æquo solùm, sed etiam libenti animo audiebat populus, quæ in judicium iniquitates, prætorum mala, vel facinora, vel eventa, pravorum civium corruptos mores, dicta jacerentur. Id tum impunè fuit maledicis Poetis: quasi malæ famæ metu deterriti, componerent animos avios à virtutibus, atque appellerent ad frugem bonam. Grassabantur ergo ea licentia in omnes ordines, ætates, sexus, conditiones impunè: idque non in transcursu tantùm, sed integro fabularum tractu, ac primario studio. Quod in Ranis, & in nubibus constat Aristophanis. Vexatio autem illa tametsi sparsim, atque ut sese ferebat, exercebatur, ipsi tamen Choro potissimùm est attributa. Attritis deinde populi opibus, reductaque illius insana & licentia, & inconstantia ad tyrannicam paucorum libidinem, continuit Poetas metus potentiorum in officio benedicendi. Quocirca sublatus Chorus fuit: cujus illæ videbantur esse præcipuè partes, ut potissimùm, quos liberet, lederet. Quare cùm cætera nihil mu-*

B *tata essent, mansit species quidem prior, parte tantùm desiderata. Unde mediæ nomen ortum est: non tunc quidem, sed posteà quam novæ comœdiæ appellatio fuit instituta: inter quam, & veterem illam, quæ intercederet, usùm fuit nominata. Intercessit autem & tempore, & forma: quando neque hujus, neque illius faciem repræsentaret: tempore quoque posterior fuit superiore, & postrema prior. Quippe nova sub Alexandro florere cœpit: cujus ætas oligarchiam subsequuta est. Chori autem loco παραβάσεις quædam fiebant, in quibus aliorum Poetarum dicta, scriptaque sine maleficii crimine, aut pœnæ suspicione irridebantur. Illud constat, Cratinum, ad pristinam licentiam cùm esset ausus reverti, βέντως fabulam edidisse: unde illi contigit interitus. Ab illis enim, in quos fuerat invectus, captum, ac vinctum, atque in mare projectum, ea mersione imitatum esse nomen suæ fabulæ. Floruerant in antiqua Cratinus, Aristophanes, Eupolis, Phrynichus, Theopompus, Archippus, Plato, Thelecides, Pherecrates, Stratis, Crates. In media verò Philippides, Strato, Anaxilas, Mnesimachus, Epicrates, Ambracia, Nicostratus, Sotades. Astrictior est nova certis legibus tam ad argumenta, quàm ad dictionem. Non enim ridicula dra-*

C *mata in nova, ut ex qualibet materia risum captet. Quinque partitionibus secta tibicinem interserit. Vocabula nova non fabricas ad risum, aut ad cavillum. Et populari sermoni de medio sumpto propior nova fuit apud Græcos. Neque excurrit ad alios versus, solis jambicis, aut trochaicis contenta. In veteri multas carminum species videmus.*

Susarion Megarensis, theatrum ingressus in Dionysiorum celebritate, cùm insestæ junctus esset mulieri, hæc quatuor carmina cecinit:

Audite populus: Susarion hæc dicit,
Filius Philini Megarensis Tripodiscius:
Malum sunt mulieres. Sed tamen, ò populares,
Non est domum invenire sine malo.

Primus Comicus fuisse, & Comœdiæ nomen dedisse dicitur. Epicharmus Syracusanus, vel Megarensis ex Sicilia, Samius, vel Cous (fortè à Coo insula, in qua exularit) duas invenit literas, Θ & Φ, teste Aristot. qui eum cum Phormo Comœdiam invenisse ait. In Epithetis excelluit. Cùm liberiùs obscœnum quid ante Hieronis uxorem locutus esset, à tyranno in exilium missus est. Vixit 97. annos docuit fabulas 52. vel 35. Hunc

D Plautus imitatus dicitur ab Horatio. Filium habuit Dinolochum comicum: qui, ut & pater, Dorica lingua fabulas 14. scripsit, & Olymp. 72. vixit. *Suidas.*

Magnes ex Icaro urbe, ut & Thespis, Lydiis modulis valde delectatus est, omnium animantium voces imitatus, à quibus & fabulis nomina indidit. Comœdias novem docuit, in quibus bis vicit.

Phormus Syracusius, familiaris Gelonis tyranni, æqualis Epicharmi, ejusque filiorum educator. Primus in scena, talari veste, sive podere usus est, scenamque puniceis pellibus obduxit. Fabulas septem docuit. *Idem.*

Antiphanes. Demophanis filius, aut Stephani, Smyrnæus: secundum Dionysium, Rhodius: mediæ Comœdiæ Comicus servili natus genere. Vixit Olympiad. 93. Scripsit comœdias 365. vel 280. Vicit 13. Filium habuit Stephanum, comicum & ipsum. Obiit in Chio, ann. natus 74. casu pyrosictus. *Idem.*

Philippides 45. fabulas docuit, novæ Comœdiæ Poeta: qui cùm in Poetarum certamine jam grandis natu præter spem vicisset, inter illud gaudium repente mortuus est. Hunc summoperè Lysimachus Rex amavit, propter integritatem vitæ, eumque occurrentem semper boni ominis loco haberet: ejus E denique causa multa Athenienſibus benefecit.

Chionides Athenienſis, primus antiquam comœdiam publicè fertur egisse, & annis octo ante bellum Persicum fabulas edidisse. *Idem.*

Crates Athenienſis priſcæ comœdiæ Poeta, ab Ariſt. videtur inter primos poni, qui apud Athenienſes fabulas docuerint. Diverſus ab hoc eſt Thebanus Crates, tragicus, Cynicæ ſectæ ſtudioſus, cujus uxor fuit Hipparchia: qui ſcripſit Tragœdias altiſſimo Philoſophiæ ſenſu ſtylo, ſoluta autem oratione, Platoni ſimilis. Vixit 113. Olymp.

Anaxandrides Anaxandri F. Camiræus ex Rhodo inſula, vel Colophonius, Olymp. ferè 101. natus, Philippi Macedonis temporibus ſcripſit fabulas 65. & decies vicit. Nonnulli ab hoc Amores in ſcena primùm inductos, & virginum raptus aſſerunt. Contra Athenienſes ſcripſit, & eos ſanctiſſimas quidem leges habere, praviſſimis tamen uti dixit: quare ab eis fame necatus eſt. Platonem quoque ipſum maledictis laceravit. *Idem.*

Plato Athenienſis, priſcæ comœdiæ Poeta, 81. Olymp. 28. fabulas compoſuit, ſtylo ſplendido, & eleganti: cu- F jus verſus in Cyneſiam Galenus in Hipp. Aphoriſmis recenſet. *Idem.*

Philiſtion Pruſaenſis, aut Sardianus, obiit tempore Socratis, immodico riſu extinctus. Scripſit Comœdias, & librum Philogelum. *Idem.*

Callias Athenienſis, comicus, Lyſimachi F. cognomento Schœnion, quòd pater ejus retiarius eſſet. *Idem.*

Cratinus Athenienſis, Platoni æqualis, fabulas 21. ſcripſit, ex quibus novies victoriam conſecutus eſt. Audax ab Horatio dicitur, quod Athenienſes mira dicendi acerbitate, dum Dionyſia eſſent, proſciderit. Vixit ann. 97. Ariſtophane ſenior: vino ita deditus, ut poetam fieri poſſe negaret, qui non vini eſſet appetentior, vinum enim vice magni equi poetis eſſe, nec aqua bonum condi carmen. Libidinoſus admodùm. Periit, cùm Pitinem fabulam finxiſſet, & ex ea victoriam retuliſſet: quo tempore primùm in Atticam Lacedæmonii irruerunt. Sunt qui periiſſe ſcribant, cùm pleno vaſe vinum effundi cerneret.

Timocreon Rhodius priſcæ comœdia, pentathlo vicit pugil. Cum Simonide, & Themiſtocle inimicitias exercuit: & G quia in Themiſtoclem invectivum carmen ſcripſiſſet, in exilium miſſus eſt. Floruit Olymp. 77.

Eupolis Soſipolis F. Athenienſis, 88. Olymp. floruit, Apollodoro principe Athenis. Septemdecim natus annos, ſeptemdecim fabulas exhibuit, ſeptieſque vicit. Cum Alcibiadem acerbius perſtrinxiſſet, edicto Alcibiades cavit, ne quis nominatim quempiam ſuis carminibus perſtringeret, ex quo factum, ut priſcæ comœdiæ acerbitas in leniorem formam immutaretur. Ajunt quidam, Eupolim ab Alcibiade in mare dejectum, vix evaſiſſe in Æginam, & ibi ſepultum: ad cujus tumulum canis moloſſus, Augeas nomine, mœrore, & inedia ſeſe conſecit. Cratinum præcipuè imitatus eſt: verùm illo rudior, magiſque ridiculus. *Idem.*

Evages paſtor, idiota, & illiteratus, celebris tamen Poeta comicus habitus eſt, quodam afflatus numine: Hydreates patria, ex inſula Hydrea, quæ ante Trozenaſia eſt.

Machon Sicyonius Comicus ſuas comœdias non oſtendit Athenis, ſed Alexandriæ. Erat autem bonus poeta, ſi quis alius, poſt ſeptem. Juvenis Ariſtophanes cum illo verſatus eſt. *Athen. lib. 14. c. 32.* H

Ariſtophanes inter veteris comœdiæ convitia, & novæ illecebras, medium quoddam dicendi genus Atticiſſimum adinvenit. Cydathenæus fuit, ex Pandionis tribu, patre Bione, homine miræ dicacitatis. Vitia ita inſectatus eſt, ut ne Cleoni quidem, tum temporis tribuno plebis parceret. Cùmque nemo hiſtrionum in fabula, quæ ἱππῆς inſcribitur, Cleonis perſonam propter ejus potentiam, auderet agere: Ariſtophanes ipſemet minio oblitus egit. Cujus cauſa ab Equitibus quinque talentis multatus eſt. Niciam quoque ſummum ducem, in fabula, quam Georgiam inſcripſit, acriter ut deſidem, & agricolam taxavit. Efficit ergo, ut Reipublicæ principes mediam quandam viam ſectarentur, ne in eos ille ſtyli aciem dirigeret. Sacræ olivæ ramo coronatus eſt, & Athenienſium eloquentiſſimus habitus. Cum Dionyſius tyrannus Platonem rogaret, ut aliquam quaſi ſpeciem, & imag. Reipub. Athenienſis ſibi oſtenderet, ille Ariſtophanis Νεφέλας ei miſiſſe dicitur. Mortuum Athenis, cum 54. vel 44. fabulas docuiſſet. Cùm Rex Perſa-

Perſarum in Græciam deſcendiſſet, quæſiſſe traditur, ubi nam A eſſet comœdiæ Poeta? eo nomine per excellentiam Ariſtophanem intelligens.

Agathon Samius Platonis Philoſophi præcipuus amicus: cujus fabula ἄνθος inſcripta, ab Ariſtotele celebratur. Gorgiam jambis imitatus eſt.

Theodorus Archææ comœdiæ ſcriptor, Athenienſis, Theodectis filius, poſt Ariſtophanem, 24. fabulas docuit. Hic in Authocari Platonem acerbè perſtrinxit.

Nicoſtratus comicus multi nominis, Clytæmneſtra cognominatus, optimè etiam hiſtrionicam exercuit: unde proverbium in eos, qui rectè, & peritè aliquid faciunt, ὦ κωμῳδὲ πάντα χρῆ Νικόστρατον.

Myrtilus, & Hermippus fratres, veteris comœdiæ Poetæ, Athenienſes. Hermippus 40. Comœdias docuit: fuitque ἀτυφόθεκμος: & Aſpaſiam accuſavit, quod Pericli ingenuas mulieres conciliaret.

Eubulus Cettius Athenienſis docuit fabulas 24. inter quas illa, quam Cleſydram à Metiches meretriculæ nomine dictam: ſic dictæ, quod ad Cleſydram, quouſque ea exinanita eſſet, veneri operam dare ſolet. *Aſclepiade te-*

B *ſte, & Athenæo libro decimotertio*, floruit Olymp. 101. mediæ ferè comœdiæ Poeta.

Pherecrates Athenienſis, Cratetis æmulus, vicit hiſtrio in theatro, Comœdias ſeptem edidit, & inter Atticiſſimos connumeratur. Sunt, qui cum Alexandrum Magum in exercitu ſecutum dicant.

Chæremon Socratis diſcipulus, comicus, multas fabulas ſcripſit. In Hippocentauro mixtam omni metrorum genere rhapſodiam fecit, ſi credimus Ariſtoteli.

Callimachus Cyrenenſis Batti F. Hermocratis Jaſii diſcipulus, floruit ſub Philadelpho, uſque ad Evergetem, Olymp. 125. Literas publicè docuit in Eleuſini Alexandriæ vico: de inde in aulam Regis receptus eſt. Scripſit volumina plus quàm octoginta, Tragœdias, Comœdias, Epodon, Mela, Tabulas diverſas, Hymnos.

Philemon novæ comœdiæ Poeta, vel mediæ, Damonis F. Syracuſanus, Menandro paulò antiquior, floruit Olymp. 111. Scripſit fabulas 90. Vixit annos 97. vel 99. Menander cùm ab eo judicium invidia in certamine ſuperare-

C tur, ei dixit: Quæſo Philemon, bona venia dic quæſo, cùm me vincis, num erubeſcis? Secundas tamen à Menandro, Fabio teſte, meretur. Filium habuit ejuſdem nominis, & artis, qui 54. fabulas docuit. Obiit riſu nimio, cùm aſinum ficos mandentem vidiſſet, & puero juſſiſſet, ut aſello poſt potum afferret. Alii aliter cum periiſſe narrant. *Suidas.*

Rhinthon Tarentinus, à quo joculare, & ridiculum fabularum genus Rhinthonicæ dicuntur, quas Græci Hilarotragœdias, alii Latinas, alii Italicas vocarunt, mixtæ ex comœdia, & tragœdia, unde & Tragicomœdia dicta. Floruit ſtatim poſt Alexandrum, figuli filius. Fabulas triginta octo docuit. *Suidas, & Stephanus.* Epitaphium ejus in 3. Epigram. Græcorum extat.

Menander, novæ comœdiæ princeps, Diopithis F. Athenienſis, comœdias 108. compoſuit: vicit ex omnibus octo, judicum invidia. Claruit 115. Olymp. Theophraſti Philoſophi, & etiam Alexidis Poetæ diſcipulus. Hic ſociis Gratiis præcipuè probavit ſe theatris, conſabulationibus, conviviis, ſive legere, ſive diſcere quid, ſive contendere ve-

D lis, communem. Hinc efficit, ut inter præclara, quæ edidit Græcia, Poeſis numeretur: oſtendit que, quæ, & quanta ſit orationis dexteritas: quæ, quoquò ſe convertit, mirè flectit animos, tenetque aures, & mentes omnium, qui Græcæ linguæ ſint. *Plut. in comp. Men. & Ariſt.* Amicus uſque adeò Ægypti, & Macedoniæ Regibus, ut eum ad ſe honorificentiſſimè invitarent. Demetrio quoque Phaleræo ita familiaris, ut cùm Demetrius ab Athenienſibus in exilium actus eſſet, Menander propter ejus amicitiam de capite periclitaturus fuerit, niſi à Teleſphoro Phaleræi genero defenſus fuiſſet. Antiquorum Poetarum furem eum faciunt. *Euſeb. & Porphyrius.* Fabularum inventionem, & diſpoſitionem tanti fecit, ut cùm aliquando fabulam diſpoſuiſſet, nec dum eam verſibus adornaſſet, ſe tamen eam perfeciſſe diceret, *teſte Acrone, & Plutarch.* In mari ſubmerſus dicitur, in Piræeo portu natans. Ejus tamen ſepulchrum in Attica venientibus à Pyræeo oſtendi, tradit Pauſanias.

Diphilus κωμικώτατος καὶ γνωμικώτατος à Clemente appellatur, Sinopenſis, ferè coævus Menandro, fabulas centum ſcripſit. Ejus verſus de futuro judicio, Clemens l. 5. Stromaton commemorat. Plautus eum imitatus eſt. Obiit E Smyrnæ.

Lynceus Samius, Grammaticus cognominatus, Thuridis hiſtorici (qui Sami tyrannidem exercuit) frater, & Theophraſti familiaris, fabulas quaſdam edidit, & Menandrum vicit. Scripſit & coquinariam artem.

Alexis Thurius Menandri patruus, comicus multas ſcripſit fabulas: ὀλιγόστιχος fuit. In extrema ſenectute, quid ageret, interrogatus: Paulatim, inquit, morior.

Inter comicos Latinos, qui primum, qui ſecundum dignitatis gradum ferant, *pete ex Tit. Judicii Poetici.*

Livius Andronicus primus apud Latinos fabulam docuit, Q. Claudio Cethego Appii Cæci F. & M. Sempronio Tuditano Coſſ. anno, antequam naſceretur Ennius ab urbe condita 500, poſt Sophoclis, & Euripidis mortem annis plus minus 160. Menandri 52. Livii Saliniatoris ſervus fuit, ejuſque liberos erudiit. Mox manumiſſus, & Livii nomine donatus cùm priùs Andronicus diceretur. Scripſit præter fabulas, etiam Hymnos, & Odyſſ.

Cn. Nevius Campanus, cui in comœdia tertias tribuit F Volcatius, fabulas tum primùm docuit, cùm Sp. Carbilius Ruga cum uxore fecit divortium. Bello punico ſtipendia fecit. Mortuis Cethego, & Tuditano Coſſ. 160. annis ante Ciceronem. Euſeb. 144. Olymp. Uticæ exulem obiiſſe vult, urbe pulſum à Metello, & Africano, quos ille acerbiùs perſtrinxerat. Fabulas docuit viginti. Item Epigrammata, & bellum Punicum ſcripſit. Superbus alioqui, & verè Campanus homo: quod fatis arrogans ejus Epitaphium, quod ſibi V. F. indicat. Facetiſſimus alioqui fuit, in eorum præſertim genere, quæ præter expectationem ambiguitate ſua riſum movent.

M. Actius Plautus (ſive Plotus à Pedum planiciei dictus) Sarſinas Umber fuit, & aliquo tempore cum Nævio vixit. Floruit anno 15. Punici belli ſecundi. Imitatus eſt Epicharmum in primis, dein Diphilum, & Philemonem. Quæſtum fecit in fabulis, adeò ut etiam mercaturam facere voluerit. Quæ cùm ei malè ceſſiſſet, Romam inops reverſus, molas truſatiles egit pro victu comparando: & in eo piſtrino Satyrionem, Addictum, & tertiam quandam fabulam compoſuit. Obiit Olymp. 145. non multò poſt Ennium, annis vi- G ginti poſt Cethegi, & Tuditani Conſulatum, P. Claudio, & L. Portio Coſſ. Scripſit fabulas 21. teſte Varrone, à quo poſteà Varronianæ ſunt dictæ: Gellius ætate ſua 130. circumlatas aſſerit, ſed alii majorem harum partem M. Aquilio tribuunt: aliquam etiam Plautio comico, à quo Plautianæ primùm, dein propter nominis affinitatem Plautianæ perperam ſunt appellatæ. Volcatius ſecundas Plauto in comœdia tribuit. Jocorum venuſtate præcelluit. Varro ſcribit, Muſas Epii Stolonis ſententia Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latinè loqui voluiſſent.

Statius Cæcilius comicus, genere ſervus, quod nomen Statii ſatis indicat. Floruit Olymp. 150. Catoni coævus: Gallus, ex urbe Mediolani, Contubernalis Ennii, eodemque, quo ille, anno mortuus, & juxta Janiculum ſepultus. Huic inter comicos palmam tribuit Volcatius. Menandri plurimas fabulas Latinas fecit, ſed Venerem illam tranſmarinam non eſt aſſecutus. Terentii Andriam cùm audiviſſet, ingenium, & elegantiam Terentii miratus eſt.

P. Terentius Afer, ex Carthagine, libertinus fuit Terentii Lucani Senatoris: Scipioni Africano, & C. Lælio familiaris: iis H tamen major natu. A quibus etiam in ſcribendo adjutus fuiſſe dicitur. Q. enim Memmius in Oratione pro ſe ait, P. Africanum à Terentio perſonam mutuatum eſſe, ut quæ domi luſerat, ipſe nomine Terentii in ſcenam deferret. Alii tamen à Sulpitio Gallo, Q. Fabio Labeone, & M. Pompilio adjutum aſſerunt. Trigeſimoquinto ætatis anno in Græciam navigavit, vitandæ opinionis cauſa, ne aliena pro ſuis edere videretur. Rediens ex Græcia, cum 108. fabulis converſis è Menandro, in mari periit: aut (quod alii) Romam revertens, ob omiſſas fabulas tædio, & mœrore confectus obiit, in Arcadia Stymphali ſinu Leucadiæ, Cn. Corn. Dolabella, & M. Fulvio nobiliore Coſſ. Afranius eum omnibus præfert comicis. Volcatius etiam Licinio, & Attilio poſtponit.

Aphranius in Togatis, & Atellanis ſcribendis excelluit, quas tamen fœdis amoribus coinquinavit. Ex cujus fabula Stella, hi verſus aſſeruntur à Gellio:

Me genuit Uſus, mater peperit Memoria.
Sophiam me vocant Grai, vos Sapientiam.

Sex. Turpilius, inter comicos ſeptimo loco à Volcatio connumeratur,

numeratur, Olymp. 189. Sinuessæ mortuus, qua die M. Cicero
A Arpini natus est. Terentium amavit.

Licinius Imbrex à Volcatio in quarto ordine comicorum connumeratur, sicuti quinto M. Attilius, vel Accilius, quem à Licinio ferreum Poetam appellatum esse scribit Cicero Q. Trabea octavum locum obtinet apud Volcatium.

C. Tieinius Togatas scripsit magni nominis.

T. Quintius Atta, togatarum scriptor, Romæ diversatus, ubi 170. Olymp. mortuus est. Atta dictus, quòd ob crurum, aut pedum vitia plantis insisteret, & terram magis attingeret, quàm ambularet. Hi enim Attæ dicuntur, *teste Festo*.

Philistion Magnesianus, vel Nicæus, claruit Olymp. 196. Augusto imperante: & risu mortuus dicitur. Ejus fabulæ in pretio fuerunt. Scripsit & librum φιλόγελον.

Nicolaus Damascenus comœdias, & tragœdias scripsit, vir in omni disciplinarum genere versatissimus: Herodi, & Augusto Imp. familiaris adeò, ut Augustus palmarum balanos pulcherrimos, & maximos (propter ejus proceritatem, & formam) Nicolaos appellaret. Hic integram disciplinam longæ cuidam peregrinationi similem dicebat, alibi divertimus, cœ-
B namus, prandemus, quiescimus, transimus: donec ad id, quod desider amus, tanquam ad propriam sedem perveniamus, ad vera m scilicet sapientiam.

C. Melissus Umber, ex Spoleto, vates ingenuus: sed ob parentum discordiam expositus; Mecœnati dono datus, & ab eo manumissus, Mecœnas Melissus dictus est: & tandem Augusto insinuatus ordinandarum Bibliothecarum in Octaviæ porticu curam suscepit. Ann. ætat. 60. libellos Jocorum scripsit, & absolvit Jocos 150. Excogitavit & Togatarum fabularum novum genus, quas Trachatas inscripsit.

Virgilius, Roman. comicus, cujus laudes *Plinius Secundus 6. Epist. lib.* recenset.

Etiam comicus fuit Georgius Buchananus, ut ex Jephte ipsius; aliisque per eum editis constat.

Neque contemnendus eo in genere Franciscus Bencius è Societate Jesu, Orator, & Poeta, id docent comœdiæ operibus per eum prorrusis adiectæ.

Dominicus etiam Boudius in hac palæstra non minus, quàm in Bacchi gymnasio versatissimus extitit. Circumferuntur illius Jambi eruditi, & qui prioris ævi versibus meritò accen-
C seantur.

TRAGICI.

Epigenes Sicyonius tragicus, cùm tragœdiam Bacchi scripsisset, quæ Deo indigna videbatur, quidam è spectatoribus, clamavit, οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. Ea vox posteà in Proverbium abiit. *Vide Erasmi Adagia*. Hunc Suidas tragœdiæ facit inventorem.

Tespis ex Icaro urbe, vel certè Athenienſis, Icarii F. secundas ab Epigene, tragœdias scripsit, ad quas agendas plaustro circa Græciæ civitates vehebatur, quas canerent, agerentque perunctì fæcibus ora. Horatius ipsos histriones in plaustris circumvehi solitos scripsit. Ab hac fæce, quam τρύγα Græci vocant, quidam tragœdiam, quasi τραγῳδίαν appellari voluere. Suidas Tespin primùm faciem cerussa oblitum tragœdias actitasse, dein personatæ herbæ foliis obtexisse, tum demum, & lineas personas induxisse scribit. Vixit 61. Olymp. qua & Solon: qui cum ejus fabulam spectasset, ad se accersiri jussit, illique ait: Num ipsum puderet coram tot
D testibus mentiri? Tespide respondente, per jocum licere: tum Solon terram baculo pulsans dixit, Id scil. propediem videbitur in nostris legibus, an jocus iste tuus laudem mereatur. *Suidas*.

Phrynicus Athenienſis, Polyphradmonis, aut Myniræ F. Thespidis discipulus, tragicus Olymp. 67. primus muliebrem personam in scenam introduxit, fuitque tetrametri inventor, Mille drachmis ab Athenienſibus mulctatus est, quòd fabulam fecisset Miletum à Dario captam, & in theatro omnibus spectatoribus lachrymas excussisset. Novem tragœdias scripsit. Filium habuit Polydphramonem tragicum. *Idem*.

Alcæus Athenienſis tragicus, scripsit fabulas cœlum, & Pollucem. Diversus à comico Mytilenæo, & Lyrico alio. Hunc primum aliqui tragicum fuisse perhibent. *Idem*.

Homerus, Andromachi, & Myronis Byzantiæ filius, Grammaticus, & tragœdus. Quapropter septem illis annumeratus est, qui secundas partes inter tragicos obtinent, & Plejades cognomentum habuerunt. Floruit Olymp. 24. scripsit tragœdias. 45. *Idem*.

Sosicles Syracusius tragicus, edidit fabulas 73. vicit septem: Unus ex septem tragicis, qui nominati sunt Plejas. De quibus vide Tit. Judicii Poetici. Fuit sub extrema tempora Philippi, E aut (ut alii tradunt) Alexandri Macedonis. Obiit Olymp. 111. alii 114. *Suidas*.

Æschylus Athenienſis tragicus, Euphorionis F. & Cynegiri, (qui in Maraton e contra Persas acerrimè pugnavit) frater. Personam, & pallam invenit, & artem tragicam nimis confusam, & crudelem mitigavit, & in ordinem redegit choros: in unum contraxit, abstulit crebras histrionum responsiones: neces insuper in scena fieri vetuit, ne coram populo homines trucidarentur: addidit habitus heroicos, item pulpita, quo è sublimi recitantes faciliùs viderentur, & audirentur. Eapropter Æschylum tragœdiæ parentem appellarunt Athenienſes, & mortuum in Dionysiis invocabant. A Baccho per somnium jussus est tragœdias scribere, cùm adhuc adolescens in agro uvas custodiret. Vini appetentior fuit. Vixit Olymp. 70. qua mortuus est Pythagoras, cujus sectator quoque fuit Æschylus. Duos habuit filios, Euphorionem, & Bionem, tragicos itidem Poetas. Jam grandis natu cum Sophocle puero certavit, & victus judicum vel invidia, vel odio, quòd mystica quædam in scena parefecisset, ut inquit Eustratius, ad Hieronem tyrannum in Siciliam migravit: ubi cùm F in agro nudus capite sederet, aquila superne volans testudinem marinam in caput ejus calvum demisit, saxum esse arbitrata, eumque interfecit, & cùm annos 58. natus esset, sepultus apud Gelem fluvium. Scripsit fabulas 90. & de iis 28. vicit. Lycurius Athenienſium Orator statuam illi æneam posuit, & alteram Sophocli, amborumque tragœdias publicè custodiri mandavit. *Idem*.

Philocles Polypithis F. Æschili ex fratre, vel sorore nepos, Euripidis tempore fuit, tragicus: moribus adeò asper, ut vulgò χολὴ appellaretur. Fabulas centum composuit. Eundem, & ἐλαμίωνα vocabant. ἐλαμὼν enim πικρὸν, id est amariciem vocant, *teste Suida*. Duos habuit filios, Morsimum, & Philippidem.

Morsimus patri stylo, & moribus æqualis, asper, & insulsus, & ocularius insuper Medicus. Taxat eum Aristophanes variis epithetis, ut helluonem, & fœdum hominem.

Astydamas F. Morsimi tragicus, docuit fabulas 240. & quindecies vicit. Primùm tamen Isocratem in eloquentia secutus est. Filium habuit ejusdem nominis tragicum. *Suidas*. G

Pratynas Pyrronidæ sive Encomii F. Phliasius, tragicus, primus Satyras docuit. Certavit cum Æschylo, & Cherilo 70. Olymp. Fabulas innumerabiles scripsit, inter quas Satyricas 32. una vicit. Cùm fortè fabulas populo Athenienſis exhiberet, contigit ut tabulata caderent, in quibus spectatores sedebant. Unde posteà factum, ut stabile theatrum Athenienſes construerent. *Idem*.

Jon Chius, tragicus, & lyricus. Olymp. 82. scribere cœpit fabulas 12. vel 30. vel 40. Item & Dithyrambos, & Metheora. Hic est, de cujus nomine Plato Dialogum inscripsit.

Lycophron Chalcidensis ex Eubœa, Soclei, vel Ariclis F. Grammaticus, & tragicus Poeta. Scripsit Jambo Cassandram, Poema obscurissimum, & fabulas multas alias. Item Satyras. Sagitta periit. *Idem*.

Choerilus, Athenienſis tragicus, 64. Olympiad. in certamen descendit, & fabulas edidit centum, & quinquaginta: Vicit tredecim. Hic secundum quosdam larvas, & scenam inchoavit.

Sophocles Sophili filius, ex Colonia, vel Colonco, So- H
crate decem, & septem annis senior, natus 73. Olymp. cum eo tamen floruit. Propter suavitatem sermonis μέλιττα dictus. Tres histriones primus instituit, & fabularum chorum ex 15. personis confecit, cùm anteà ex 12. constaret. Versatus est etiam in Reipubl. administratione. Cum Pericle contra Lacedæmonios missus victor rediit. Filios Sophocles habuit plures, inter eos & Jophontem, à quo senex delirii accusatus est: qui & ipse tragicus fuit, ut pater. Accusatus, Oedipum Coloneum tragœdiam, quam in manibus habebat, judicibus recitavit, & absolutus est. Fabulas 123. docuit, & quater vicies victor extitit. Obiit vel ex gaudio nunciatæ victoriæ, vel grano uvæ strangulatus, anno 95. ætatis, cùm Lacedæmones urbem Athenienſium obsiderent. Lysandro Regi Bacchus in somnis apparuit: monuitque, ut pateretur humari delicias suas: Pacem ergo funeri dedit Lysander. *Idem*.

Euripides ab Aristotele τραγικώτατος dictus: eo die natus in Salamine Atticæ, 70. Olympiad. quo in Euripo pugnatum est contra Xerxem, nomen accepit à patre Mnesarchide Caupone, matre Clito, agrestia olera vendente. Pater ejus

Bœotius,

Bœotius, in patria corbis ignominiam passus, cùm æs alie-
A num non dissolveret, Athenas venit: & cùm ex oraculo fi- E
lium victorem in certaminibus fore cognovisset, interpretatus athletam esse debere, gymnasticam exercere coegit, ita ut de pancratio etiam victor extiterit. Sed his exercitiis relictis, Anaxagoræ Clazomenio operam dare cœpit in Physicis, in Rhetoricis Prodico Ceo, Socrati in ethicis. Cùm Platone posteà in Ægyptum navigans, cùm ægrotaret, marina aqua à Sacerdotibus pristinæ valetudini restitutus est. Hinc ipse in fabulis, διὰλεκτα κολλὰ πάσσε ἀῤῥ ἀνθρώπων κακά. Anno ætatis 18. Tragœdiam cœpit. Philochorus in insula Salamine speculam horridam ostendi ait (eamque *Gellius lib. 15. cap. 20.* se vidisse asserit) in qua fabulas suas scripsserit. In Macedoniam ad Archelaum Regem profugit, propter uxoris impudicitiam: ubi à Rege benignè susceptus, à canibus tamen incerta causa laceratus est, 93. Olymp. annos natus 75. & ossa Pellam translata. Athenienſes ejus cineres à Macedonibus fruſtra petierunt: cenotaphium tamen ei in foro extruxerunt. Sophocles ejus morte audita, atrata tunica induit se, & sine corona tragœdias suas agi voluit. Fabulas scripsit 92. inter quas 8. Satyricas, in his quindecies tantum vicit, judicum invidia. Primus fabularum
B principiis argumenta inseruit. Suidas quinquies tantùm vicisse asserit: vivum quater, mortuum semel, actore fratris filio Euripide.

Aristarchus Tegeates Tragicus, cùm ex morbo quodam ab Æsculapio recreatus, gratiam pro sanitate referre juberetur, tragœdiam sibi cognominem edidit. Æqualis fuit Euripidis: & primùm ad eam, quæ nunc est, prolixitatem tragœdias extendit, Tragœdias edidit 70. vicit duabus. Vixit ultra centum annos. *Suidas*.

Achæus, Syracusanus tragicus, scripsit tragœdias 10. Alius Pythodori filius, Eretriensis, natus 74. Olymp. fabulas edidit. 44. vicit unam, paulò Junior Sophocle. *Idem*.

Chærephon tragicus, cùm Pythiam de Socrate amico consuleret, responsum tulit:

Ἀνδρῶν ἀπάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Inter fabulas ejus, Heraclidæ reponuntur. Hic propter nocturnas lucubrationes, Nycteris, id est, noctua, appellatus est: item propter pallorem, σύξινος, id est, Buxeus. Unde pro-
C verbium in pallidos, οὐδὲν δεινοῖσιν χαμαιφώνοις φύσει, & Aristophanes, οὐδὲν δεινοῖσιν ἡρακλειδῶν.

Carcinus Agrigentinus tragicus, cùm fabulam meditaretur, à serpente morsus occubuit.

Plato juvenis admodum, dithyrambos, deinde mele, mox etiam lyricos versus scripsit: maturior quoque tragœdias. Quas cùm in Dionysii theatro recitaturus esset, in Socratem incidit, & ejus syrene delinitus Philosophiæ operam dare cœpit, Poemata igni tradidit, inquiens: ὅρματα πρόμολ' δεῦρ, ἡφαιστοτεύκτα. *Huc, ò Vulcane. Plato tua ope indiget.*

Nicomachus Athenienſis, Euripidem, & Theognim, incertum qua fortuna, fabulis vicit.

Antiphon Athenienſis Sophili filius, Thucydidis magister, αὐτοδίδακτος Poeta Dionysium tyrannum in tragœdiis componendis quoque juvit. Commentus est idem artem ad animi mœrorem levandam, qua veluti Medicus ægri animi subveniret. Atque ideò cùm Corinthi verfaretur, propter forum domicilium habuit: scripto professus se ægris animis curationem adhibere. Mœroris causam diligenter percontaba-
D tur, dein congrua oratione consolationem afferebat. Hoc, nemineminem unquam capitis causam melius oravisse, Thucydides asserit, qui ei causæ se astitisse scribit. Cùm ad supplicium raperetur, & socios moriturosquecapita velasse videret per portam exeuntes: Quid ita, inquit: anne horum quispiam eras vos videat, timetis?

Theodectes Phaselites ex Lycia, tragicus (qui priùs arti oratoriæ operam dedit) in dedicatione Mausolei, quod Artemisia Olymp. 103. construxit, cum Naucrate Erythræo, & Isocrate Apolloniate, & Theopompo Chio certavit, atque victoriam affecutus est: tametsi alii Theopompum victorem asserant. *Suidas*. Scripsit & tragœdiam Mausolum, quæ valde placuit. Hinc, cùm in quapiam tragœdia, sacra quædam prodere voluisset Hebræorum, luminibus captus: & vix tandem multorum dierum supplicatione, & precibus, Deum optimum maximum placare potuit: ut *Aristeas, Josephus, lib. 12. Antiquit. & Eusebius* testatur. Tragœdias scripsit quinquaginta: item artem Rhetoricam carmine. Discipulus fuit Platonis, Isocratis, & Aristotelis, & Alexandri Magni condiscipulus. Qui cùm in Lyciam contra Persas iturus venisset, Theodectis statuam in foro positam coronavit, eique parentavit. Memoria ita ex- E
celluit, ut semel auditos multos versus protinus repeteret, teste Fabio. Obiit Athenis, annos natus 41.

Isocrates Theodectis magister, præter orationem numerosam, cujus ipse vel auctor, vel certè occultor fuit, 37. tragœdias docuit: quamvis eas ingrati discipuli Theopompus Chius, & Ephorus Cumæus, ut tibiarum artificis, vel tibicinis (fuerat enim pater Isocratis Theodorus tibicen) calumniati fuerint soliti.

Eubulides Milesius Megaricus, Philosophus, & dialecticus insignis, tragœdias multas scripsit, quibus in certaminibus excelluit. In dialectica etiam longè plura edidit, quàm in Poetica, & in primis quæ Sorites, & Ceratinæ vocantur.

Neophron Sicyonius tragicus 120. fabulas docuit. Medea, quæ Euripidi tribuitur, hujus fuisse creditur. Primus pædagogos introduxit, & domesticorum, ac familiarium experimentum. Floruit Alexandri Magni tempore, & cum Callisthene Philosopho, & amico, supplicio affectus est propter conspirationem. *Suidas*.

Alexander Ætolus tragicus, unus ex Plejadibus. Scripsit etiam Elegias, & Jonica Poemata. Ex ejus libro, qui Musa inscribitur, quædam Virgilium desumpsisse testatur F
Macrobius.

Æschines Athenienſis, Atrometi literarum magistri, & Glaucothæ filius, adolescens tragœdias actitavit, cùm vocis claritate polleret: & cum Aristodemo in Dionysiis certavit. Demùm se Oratoriæ, & Reipublicæ tradidit, Isocratis, & Platonis disciplinæ se committens. Quamvis alii, cùm in judiciis fortè scribæ officio fungerentur, nullo docente, eum in tantam eloquentiæ existimationem venisse asserant. Cùm Demosthene posteà simultates exercuit in Republica: & tandem, cùm Ctesiphontem παρὰ τὰ νόμιμα accussasset, victus, Athenis fugiens, Rhodum fecessit: ubi dicendi genus Rhodium (quam novam sophisticam vocat Philostratus) instituit, mortuus in Samo.

Crates Thebanus Cynicus tragœdias quoque scripsit altissimo Philosophiæ stylo: quale illud est de Hercule, *teste Laert. lib. 6.*

Οὐ δὲ πάτρα μοὶ πύργος, ἢ μία οἶκος,
Πάσης ἡ χώρου ἢ πόλισμα ἢ δόμος
Ἕτοιμος ἡμῖν οἰδίποδι πικρά.

Philiscus Corcyræus, Diogenis Cynici discipulus, Bacchi G
Sacerdos, Ptolemæi Philadelphi temporibus inter Plejades connumeratus. Docuit fabulas quadraginta duas, quas aliqui Diogeni tribuunt præceptori. Ab hoc carmen Philiscion: quo tamen multò ante usus fuit Simmias Rhodius.

Sostitheus Syracusanus, aliis Athenienſis, & unus ex Plejadibus, tragicus, cùm aliquando in theatro Cleanthem Stoicum carmine perstrinxisset, à spectatoribus è scena explosus est. Floruit Olymp. 164.

Isagoras tragicus, discipulus Chresti Byzantii, summi sophistæ, fabulas scripsit, & soluta oratione multa. Floruit Antonini Imp. tempore.

Posidippus Cassandræus, tertio anno à Menandri obitu triginta fabulas edidit, & in pretio summo habitus est.

Ariston Chius tragicus, dum cogitabundus per sylvam incedit, folia arboris manu percussit. Decidit serpens, qui eum lethali vulnere in dextra sauciavit.

M. Pacuvius Brundusinus, Ennii ex sorore nepos, qui Romæ, quamdiù vixit, picturam exercuit. Senex, & æger Tarentum migrans, nonagenarius obiit, Olymp. 157. Amicus, & H
hospes C. Lælii apud Ciceronem.

L. Actius, Serrano, & Mancino Coss. libertinis parentibus natus, sene jam Pacuvio floruit. Pacuvii, cùm in Asiam proficiscerentur, Tarenti hospitio usus, apud Atreum tragœdiam composuit, & Pacuvio recitavit. Grandia ille, & sonora, sed duriora paulùm, & acerbiora esse, quæ scripsisset, asseruit. Actius respondit: Neque ejus me pœnitet: nam quod in pomis est, ut quæ dura, & acerba nascuntur, post fiant mitia, quæ verò mollia, & vieta, statim putrescunt: idem & in ingeniis accidit. Decio Bruto ita charus, ut ejus versibus templorum, & monumentorum frontes aditus exornarit, teste Cicerone. Quod si verum est, alium hunc Actium fuisse oportet: neque enim temporis ratio patitur. Diversus ergo est Actius à priore illo, qui etiam C. Julio Cæsari in Poetarum collegium venienti, nunquam assurrexit, quod in comparatione communium studiorum, majorem se eo in loco esse confideret. Scripsit autem. L. Actius præter fabulas etiam Annales, eique plus virium quàm Pacuvio tribuitur.

L. Pom-

L. Pomponius Bononiensis, Atellanarum scriptor egregius. Olymp. 172. Fuit alius P. Pomponius Secundus Veronensis, Plinii gentilis, & conterraneus, tragicus Poeta, Cajo, & Claudio imperantibus: cujus vitam Plinius secundus duobus voluminibus executus est. Consularis etiam fuit Romæ: & cum in Germania superiore Cattos devicisset, triumphum meruit. Hic nunquam ructasse dicitur. Si à quopiam fortè in tragœdiis reprehenderetur. Ad populum provoco, inquit: ita ex populi vel silentio, vel applausu, aut amici, aut suam sententiam sequebatur.

PUPIUS tragicus, quoties volebat, populum ad lachrymas provocabat. Extat illud ejus de seipso:

Flebunt amici, & bene noti morte mea,
Nam populus omnis me vivo lachrymatus est.

Hujus Poemata lachrymosa appellat Horatius.

VARIUS Epicus, Virgilio antiquior inter cætera de Morte scripsit. Eum etiam Virgilius imitatus est. Quidam hunc eundem existimant, qui scripsit Tragœdias, & Elegias, & Heroica. Celebratur ejus fabula Thyestes, quam omnes summis laudibus extollunt, & cum Cæcis certare posse asserunt: & à Virgilio scriptam, uxori Varii, admodum literatæ dono datam: quam deinde uxor marito dederit, ille pro sua recitarit: illudque tacitè innuere Virgilium, quando inquit:

Quem mea carminibus meruisset fistula caprum.

ASINIUS Pollio, Olymp. 195. Orator, & Consularis, qui de Dalmatis triumphavit, & 80. anno obiit: apud Augustum in summa authoritate, Ciceronis æmulus, leporum, & facetiarum pater, & omnium horarum homo dictus est. Primus Romæ Bibliothecam aperuit: primus quoque Græcam historiam Latinè composuit. Tragœdias & ipse scripsit. Hujus filius C. Asinius Gallus, Ciceronis manes insectatus est, & ei patrem prætulit. Ciceronem tamen posteà Claudius Cæsar defendit. A Tiberio diris affectus est suppliciis, Olymp. 199. anno ante T. Livii mortem.

CASSIUS Severus Parmensis, M. Anton. partes secutus, fracto Antonio apud Actium, Athenas se contulit. Ubi concubia nocte curis confectus, ad se hominem horrendi aspectus venire existimavit: qui interrogatus quis esset, Cacodæmona se esse, respondit. Nec multò post à Quintilio Varo ab Augusto misso, in ipsis studiis interfectus est. Thyestes ejus celebratur. Diversus est ab isto Cassius Severus Orator, & Poeta: in reprehendendo, & accusando vehemens, sed infelix.

C. MECOENAS Eques Romanus ab Antiquo Hetruscorum Regum sanguine, Augusti Cæsaris intimus amicus, ita ut Augustum ab ira sæpè ad mansuetudinem flexerit. Terentiam Murenæ ejus, qui in Augustum conjuravit, sororem fervidè amavit, quàm alii Terentianam, & Terentillam vocant: alii uxorem eam habuisse ajunt, & propter ejus repudium triennio integro non dormivisse. Amavit & Bathyllum histrionem, Moribus effeminatus fuit, & mollis, ita ut Malthinus, seu Malcinus cognominaretur. Seneca ejus mollitiem in Epistola ad Lucilium exprimit. Primum oratoriæ operam dedit, deinde Poeticæ. Scripsit tragœdias, & multa alia Poemata. Prometheum fabulam Seneca, Prisianus Octavium citat. Circumfertur ejus versus:

Nec tumulum curo: sepelit natura relictos.

Febre obiit, quia per totam ætatem laborasse dicitur. Hic exquisitas dapes excogitavit, & afinarum pullos, primus condivit. Molli stylo fuit. Summus alioqui eruditorum patronus.

ANNÆUS Seneca Hispanus, prioris Senecæ Philosophi frater, vel filius, tragicus. Octo ejus tragœdiæ etiamnum circumferuntur, quæ tamen à Criticis in ordinem rediguntur. Tanta olim auctoritate, ut quò quisque plures versus ex eis recitare posset, eò doctior esset. Fabius, propter odium fortasse gentis Senecarum, sua censura dignas non esse putavit: vel fortè quia adhuc Seneca vivebat.

JULIUS Maternus, tragicus celebris fuit.

M. ÆMYLIUS Scaurus cum Atreum tragœdiam docuisset, in qua adhortabatur quempiam, ut Regis insaniam æquo ferret animo: id in se dictum Tiberius ratus: Me tu quidem Atreum, inquit, ego te Ajacem efficiam. Itaque metu sibiipsi manus intulit.

GREGORIUS Nazianzenus Episcopus, Theologus cognomine dictus, ea auctoritate inter suos, qua olim Pythagoras. Triginta millia versuum scripsisse dicitur. Extat tragœdia ejus de Christi morte, doctissima.

MIMOGRAPHI.

SOPHRON Syracusius, Agathoclis F. Xerxis primùm, dein Euripidis temporibus mimorum scriptor, tantopere probatus à Platone, ut ejus libros antea neglectos, primus Athenas invexerit, quæstumque ex eis duxerit: eosdem quinetiam dormiens, atque moriens, capiti suppositos habuerit, teste Laert. Scripsit mimos muliebres soluta oratione, lingua Dorica: difficili tamen, & obscuro stylo proverbiis refertissimus. *Suid.* Est alius quidam comicus hoc nomine, qui Danaen Leontii Epicuri amicæ filium dilexit.

CERCIDAS Magalopolita, optimus Legislator, & Poeta mimographus.

DECIUS Laberius mimographus Eques Rom. quo summè delectatus est C. Jul. Cæsar, adeò ut eum in fine suorum ludorum annulo aureo, & quingentis sestertiis donaverit, atque evestigiò in quartumdecimum ordinem ad spectandum transmiserit. Ei aliquando sedile quærenti, M. Cicero dixit: Recepissem te, nisi angustè admodum sederem. Cui Laberius: Mirum si angustè sedes, qui soles duabus sedere sellis. Senex autem à Cæsare coactus est scenam ingredi, de quo *Laberius ipse in Prologo* conqueritur. Puteolis obiit decimo mense post cædem Cæsaris.

P. Syrus natione mimographus, Laberio Junior. *Vide Tit.* Saltatorum, ex Macrobio. Variæ hujus leguntur sententiæ, inter quas & hæc, quo nullum melius carmen inveniri dicebat Cassius Severus:

Tam deest avaro quod habet, quàm quod non habet.

CN. Martius vir doctissimus, mimographus excellens in vocabulis novandis celebris.

M. Marullus mimographus audax, ut etiam M. Antoninum Philosophum Imp. incessere solitus sit. Parum Grammaticæ regulas curabat, ut risum excitaret, Ejus filium Galenus ex neglecto pectoris abscessu gravissimè laborantem curavit.

SATYRICI, QUI VITIA ÆTATIS SUÆ, VEL CERTORUM QUORUNDAM hominum reprehenderunt.

Apud Græcos olim vetus Comœdia hoc habebat, ut liberè taxaret potentissimorum vitia, idque publicè in theatro. Quæ tamen licentia Athenis posteà è medio fuit sublata, & antiquæ Comœdiæ nova successit, tum modestior, tum jucundior. Ipsa autem Satyra à Satyris Bacchi comitibus nomen sumpsit: & propterea uti mimographi Comicorum: ita Satyrici Tragicorum ἐκγονοι censendi sunt. Neque obstat, Satyros libidinosos, aliorum vitia, & libidinem taxare: cùm hoc ferè usu venire videamus, ut quo quis vitii genere obstrictus est, illud idem in aliis gravissimè reprehendat. Dicaces alioqui sunt Satyri, & tum quia semidei, tum quia rustici, liberius alios reprehendunt. *Vide Scaligeri libros de Poetica.*

Archilocus Parius, Jambo primus usus est ad maledicendum contra Lycamben socerum, qui promissam sibi filiam Neobulen denegarat. Epodon commentus ex trimetris, & dimetris, eo socerum cum tribus filiabus ad laqueum compulit. Maledicus adeò, ut ne sibiipsi quidem parceret, Τίφτηγα seipsum ob garrulitatem vocans. Interfectus est in bello à Calonda Naxio milite.

HIPPONAX Ephesius Jambographus floruit Olymp. 60. Cum à Bupalo, & Athene sive Anthermo, fratribus sculptoribus celebertimis, ejus imago videntium circulis proponeretur: indignatus Hipponax, Amaritudinem carminum eos ita distrinxit, ut ad laqueum compulisse dicatur. Ab hoc Hipponactium carmen vocatum: quia pro Jambo introductis trochæis, contra legem trimetri Jambici metrum innovavit, atque ita Archilochium infregit.

PRATINAS Philiasius, tragicus, primus Satyras docuit. *Suid.*

CALLIMACHUS Cyrenensis contra Apollonium discipulum ingratum Ibin edidit. Quem inter Latinos imitatus Ovid.

C. LUCILIUS ex Arunca urbe, vel Canusinus, qui primus nasi stylum acuisse à Plin. dicitur. Natus, quo tempore Carthago Roman. deditionem fecit Pompeii Magni major avunculus: nam Lucilii soror Pompeii avia fuit. In reprehendendo adeò acer, ut lex posteà fuerit lata (quod & Athenienses rogante Alcibiade fecerant) ne cui liceret nominatim quempiam carpere. Composuit Satyras, Tragœdias, Horatius lutulentum vocat Poetam. Quintilianus Satyricorum principem facit, Adrian. Imp. cum Virgilio quoque præferebat. Græca passim miscuit. Obiit Neapoli, ætat. ann. 46. publico funere elatus.

Cato

Cato Uticensis Jambicum carmen in Metellum scripsit: & quamvis severus, lascivis interdum versibus lusit.

M. Ter. Varro, quo nemo doctior, nec apud Græcos, nec apud Latinos, teste Lactantio: omnigeno carmine Satyras suas scripsit imitatus Menippum: unde & Menippeus dictus est.

L. Lucullus jambographus improbatur, quòd Gentium, & Macedonem pueros, veris nominibus suis carminibus prostituerit. Meminit ejus *Cicero ad Ættticum.*

Ælius Saturninus, quòd in Tiberium versus composuerat, ab eo in Senatum ductus è Capitolii rupe præcipitatus est: ut & Sex. Paonianus in carcere strangulatus.

A. Persius Flaccus Volaterranus, natus 203. Olympiad. anno Christi 37. Tiberii 22. discipulus Rhemmii Palæmonis, & Verginii Flavii, mox Cornuti Stoici philosophi, & tragici poetæ. Obiit 29. ætatis anno ex vitio stomachi. Pervenit ad 12. Neronis annum, quem sub nomine Midæ in Satyris taxat, virginalis modestiæ plenus. In Satyris doctus, sed obscurus est. Sic ut D. Hieronymus eum à se rejecerit hoc dicto, Si non velis intelligi, debes negligi.

Antistius Sosianus in Neronem carmina componens, ea celebri convivio apud Hostorium Scapulam vulgavit: & post Pisonianam conjurationem in exilium missus est, malis tamen artibus rediit. Nam, cùm Neronem facilè delatoribus aures præbere intelligeret, Parmenis Chaldæi genethliaci amicitiam iniit, ad quem Romanorum litteræ de futurarum rerum eventu crebrò deferebantur. Itaque Antæi litteras intercepit, simul etiam Parmenis libellos clàm furatus est, quibus dies genitales ejus, & eventura occultabantur, atque Hostorii etiam Scapulæ. Neroni mox scripsit, habere se, quæ saluti ejus conducerent, si brevem exilii veniam impetrasset. Quam rem Nero facilè concessit, eumque per Liburnicas advehi præcepit, ejusque verbis fidem habens, Antæum, & Hostorium perdidit. *Gyrald. Dialog. 4. Hist. poet.*

D. Junius Juvenalis, Aquinas, discipulus Frontonis, & Quintiliani, ad mediam usque ætatem declamavit: inde Satyras scribere aggressus est. In quibus cùm Paridem Pantomimum, Domitiano charissimum, perstrinxisset, jam octogenarius, in Pentapolim Ægypti relegatus, ubi angore, & tædio periit.

Neque infimus in hoc genere censendus Janus Dousa Noortuvyckanus, cujus Satyræ in manibus sunt omnium; hoc tamen reprobandæ, quòd falcam suam immiserit in res, & mores Catholicorum, quos ipse non intelligebat, hæreticorum more.

Sed æquat veteris ævi Satyricos, ac præsentis superat, scribendi Satyras acumine, elegantia, & modestia, vir clariss. Petrus Scholerius Reipub. Antuerp. Senator, cujus rei testes eruditæ Satyræ nuper typis Plantinianis in lucem emissæ: sub titulo Sermonum Familiarium.

HEXAMETRI.

Consule Tit. Poetarum Historicorum; Herous enim per dactylus est, & carmen dactylicum Heroicum, quòd illo res gesta Heroum præclaræ decantentur.

ELEGIOGRAPHI.

Callinus elegiographus, Elegiaci carminis inventor, à Mauro Terentiano dicitur: Theocli Naxio, seu Eretriensi Suidas, alii Midæ Phrygi, alii Terpandro hoc inventum tribuunt, scripsit Cimmeriorum adversùs Esionenses impetum, & Sminthii Apollinis historiam.

Anthes Anthedonius primus apud Græco δρλικὸς condidisse dicitur: quorũ apud Hebræos auctor fuit Hieremias propheta.

Olympus Mysius, discipulus, & amor Marsyæ Hyagnidis filii, qui Hyagnis primus tibiis usus dicitur. Composuit elegias, & cantica, atque in Chromatica Musica princeps fuit. In Pythonis funere tibias inflavit, & funebre carmen modos Lydios concinuit.

Clonas Tegeates, vel Thebanus, elegiographus, & epicus, Nomos musicos invenisse dicitur, quorum tamen inventionem alii Ardalo Trœzenio tribuunt.

Thymitus Laomedontis filius, unà cum Orpheo claruit, diùl peregrinatus, cùm ad Nysam, ubi Bacchus nutritus fuerat, venisset, ab incolis Dionysii sacra didicit, & poema Phrygium conscripsit.

Solon philosophus, & poeta præstantissimus, 46. Olymp. ex Cypria Salamine oriundus: cui non minus tribuit Plato, & Aristoteles, quàm Homero, & Hesiodo. Hinc secundùm quosdam auctor Homeri rhapsodiarum fuit, Elegias scripsit, & Jambos.

Dropidas frater Solonis, à quo maternum genus duxit Plato celebris, quidem poeta, sed cujus famam fratris gloria obscuraverit.

Antimachus poeta, extincta sua conjuge, quam charã habebat, Lyden, levamen sibi doloris, elegiam condidit, quæ Lyde vocatur: enumeravitque ad elevandum miseriis alienis mœrorem suum ærumnas heroicas. *Plutarc. in Oratione consolatoria.*

Chilo Damageti filius, Lacedæmonius, septem Sapientum unus, à quo breve dicendi genus Chilonium dictum. Cujus sententiæ sunt Γνῶθι σεαυτὸν ἐγγύα πάρα δ'ἄτα. Laudatur Elegia ejus ducentorum versuum.

Philetas Cous, filius Telephi, floruit primùm sub Philippo, deinde secundi Ptolemæi magister fuit. Criticus grammaticus insignis. Cùm λεβήμων quendam λόγον solvere non posset, præ mœrore contabuit. Secundas in Elegis meruit. Exili adeò fuit corpore, ut plumbeis soleis uti cogeretur, ne vi venti in sublime raperetur: Battida puellam amavit.

Tyrtæus, elegiacus poeta, & tibicen, æqualis septem Sapientum Scripsit Rempubl. Lacedæmoniorum, & Præcepta vitæ versibus elegiacis, & carminum bellicorum libros quinque.

Vide Tit. Ethicorum poetarum.

Laminthius Milesius elegiographus, Lyden quandam in suo poemate celebrat.

Evenus elegiographus, cujus versus citat Aristoteles de consuetudine, magister Philisti illius, qui secundùm præcepta Rhetorica historias conscripsit: item & Socratis (ut quidam volunt) in poeticis.

Mnimermus, vel Mimnermus, à memoria, & interpretatione deducto nomine, tibicen Smyrnæus, Lyrgitiadæ Colophonii filius, natus 38. Olymp. coævus Soloni. Propter carminis suavitatem Ligyastades dictus, Summum bonum, indolentiam, & tranquillitatem animi statuit. In Elegis excelluit, & Nanno tibicinam adamavit.

Polymnestus Colophonius, & Euhemerus Messenius, elegiographi. Euhemerus ἀθεος è Plutarcho dicitur, quoniam rex gestas deorum, vitas, & mores descripsit, quem secutus est Ennius, Cicerone teste. Cassandro regi amicus fuit, cujus gratia compulsus fuit regias quasdem sententias conficere, magnasque ideò peregrinationes per Oceanum suscepit.

Euphorion Chalcidicus, Polymneti filius claruit 126. Olymp. cùm Pyrrhus bellum Romanis inferret. Amatus à Nicæa (cujus filius Alexander Eubœæ dominabatur) & dives factus, in Syriam concessit: & apud Antiochum regem bibliothecæ præfectus, Antiochiæ, vel Apameæ moritur. Scripsit Elegias, & Mopsopia, sive ἐπικαῖα: item ex oraculis, mille annorum libros quinque. Eum in Elegiis Cornelius Gallus imitatus esse videtur.

Zenodorus Ephesius grammaticus, & poeta, Philetæ discipulus, paulò antè Philadelphi tempora, cujus tamen bibliothecæ præfuit, & in ea docuit. Criticus magnus, Homeri versus in ordinem redegit, & simul Ptolemæi filios instituit.

Parthenius Chius (qui, & Chaos dictus) Heraclidis filius ex Homeri progenie, Elegiarum, & diversorum carmmum poeta, captus à Cinna Mithridatico bello, Romam ducitur, & propter eruditionem liberatur: quo præceptore Virgilius in Græcis usus videtur. Hunc Tiberius in carminibus dicitur imitatus, & fortassis etiam Ovidius in Metamorphosi. Virgilius etiam in quibusdam. Erat ejus opus ἐξ ἱρωικῶν. Est & alius hoc nomine Nicæus. *Suidas.*

Cn. Cornel. Gallus Forolivienfis, primus Ægyptum in provinciam redactam rexit. Transtulit ex Græco Euphorionem. Amores de Cytheride Volumnii liberta composuit quatuor libris, quam Virgilius Lycorida vocat. A Virgilio tantùm amatus, ut in ejus gratiam medium quartum librum Georgicon scripserit. Quam tamen posteà in Aristæi fabulam commutavit, quando Gallus propter insolentiam, & tyrannidem accusatus, ferro sponte incubuit, anno ætatis quadragesimotertio. Falsò ejus nomine circumferuntur hodie Elegiæ aliquot, quæ Maximiani cujusdam sunt.

C. Cornificius Virgilii æmulus, à militibus destitutus interiit, quos ille sæpè fugientes, galeatos lepores appellabat. Cornificia ei soror fuit, cujus Epigrammata suo tempore insignia fuisse scribit *Hieronymus.*

Albius Tibullus eques Rom. natus eodem anno, quo & Ovidius, A. Hircio, & L. Pansa Coss. eodem etiam die, scilicet Quinquatriis Minervæ, intra Calend. Aprilis, Deliam amavit, quæ proprio nomine Plania dicebatur: item Nemesin, Neæram Sulpitiam, in Elegis princeps habetur. Scripsit & hexametrum, sed dispare felicitate, obiit adhuc juvenis.

Sext. Aur. Propertius Umber, ex Mevania, vel Assisio oppido, quod

quod ipsemet Axim, vel Assim vocet. In divisione agrorum
A veteranis militibus sub Augusto facta, suis agris spoliatus est. Hostiam puellam (quam ficto nomine Cynthiam appellat) amavit: Callimachum Cyrenæum, & Philotam Coum in Elegis imitatus est.

Publ. Ovidius Naso Sulmonensis, ordinis equestris, causas in foro agere à patre coactus: eo mortuo ad Musas reversus est. In exilium Tomos relegatus, quòd cum Julia Augusti filia stuprum fecisset (quam nomine ficto Corinnam vocavit) vel quòd Augustum cum filia jacentem vidisset. Obiit in exilio 199. Olymp. Scripsit plurima in omni genere carminum, summa facilitate, nimiumque luxuriante copia: nec defuit ei judicium ad compescendam carminum suorum licentiam, sed animus. Boethus Tarsensis, M. Antonio de habita apud Philippos victoria gratulatus carmine, patriam tam diù rexit, donec Athenodorus Sandonis, qui à vico Cananita cognominatus fuit, Cæsaris præceptor, senex in patriam rediit, & benignitate Cæsaris priorem Reipub. Tarsensis statum correxit, actis in exilium malis civibus. Extemporè versus fundebat, quamvis
B non usqueadeò bonos.

Sabinus Epistolis Ovidianis rescripsit & Trœzenia. Trisenen puellam amavit. Fastos imperfectos reliquit.

Aruntius Stella Patavinus elegiographus, amicus Statii summus, qui ejus cum Violantilla (quàm Hyanthida vocat Martialis) nuptias celebravit, scripsit Epigrammata, & victoriam Domitiani contra Sarmatas.

Voconius Victor, Romanus eques, mirè elegans, & eruditus, ut Musæ ejus ore versus pangere viderentur. Adriano Cæsari ita charus, ut etiam ejus tumulum versibus exornarit.

Lascivus versu, mente pudicus eras.

Fuit & Joanni Lotichio Secundo, Georgio Sabino Brandeburgico, Joanni Castalconi, & plerisque aliis nostra ætate facilis in Elegiaco carmine vena, ut quam opera varia per eos luce donata satis evincunt.

☞ *Consule Tit. Melepœorum, & Satyriorum. Idem namque poema diversimodè consideratum ad diversos Titul. pertinere potest.*

Scythinus Tejus Jambos doctissimè scripsit, & alia
C quædam.

Dominicus Baddius nuper in hoc metri genere etiam excelluit, quamvis sicut de Ennio fertur, non nisi potus ad scribendos versus accederet.

Daniel Heinsius Gandavensis, natura ad Poesin natus, ac si labra Caballino fonte proluisset, Jambico quoque metro nominis sui famam extendit.

Eoque in genere non pauca ingenii sui monumenta exhibuit Litterariæ Reip. F. Nicasius Baxius, Eremita Augustinianus Antuerpiæ.

* CHRONOGRAPHI. ACROSTOGRAPHI.

ANAGRAMMATICI.

Veteribus cæ carminum inflexiones, formulæque incognitæ videntur, quibus aut tempus certi eventus per litteras numerarias, easque solas, & omnes designatur, aut nomen alicujus, initialibus versuum, quin & singulorum verborum litteris intexitur, quod genus est acrostichorum; vel denique per litterarum, & syllabarum trajectionem, & certam dispositionem, ex nomine alicujus elicitur gnoma, quæ mox personæ accommodavit; multa de hac specie diximus *in Loco particulari de Anagrammate*. Sunt pleraque ingenia, quæ huic artificio metrico incumbunt; sed ut quod res est dicam, non
D habet nostra ætate in illo superiorem Jodocus de Veert Antuerpiensium Syndicus, quod variis in lucem editis Poematibus, ac nupero Parnasso, quem Belgarum Principibus inscripsit; luculenter demonstravit. Ex Veteribus celebratur Lycophron Chalcidensis: unus 7. Poetarum, quos conjunctos vocarunt ἑπτὰ μέλιτται, hoc est è melle. Arsinoen verò ἰὸν ἔρως, violam Junonis Refert *in colloq. de Vaticiniis, Majolus Tom. 1. Dier. Canicular.*

POETÆ CONSIDERATI RESPECTU

EFFICIENTIS CAUSÆ.

Tritum est illud, Nascitur poeta, Fit orator. Nempè quòd Naturæ major, quàm artis in poesi habeatur ratio. Naturam autem intelligimus tum placidam, tum furiosam, quam ἐνθουσιασμὸν, & Furorem poeticum vocant: de quo vide Platonis Jonem. Hinc famulantur ea, quæ spiritus poeticos exercere possunt, Venus, atque Bacchus. Artem verò ipsam, & Institutionem, ab homine homini communicatam. Vide Exercitia ὑπογραφικὰ, & Certamina poetica.

NATURALES POETÆ.

Aristot. in Problematis meminit de Maraco quopiam Syracusano, qui tum meliora faceret poemata, cùm mente esset alienatus. Eodem spectat illud Horatianum. E

Adde poemata nunc, hoc est, oleum adde camino.

Erasmus in Adagiis.

Julis, quæ exigua pars insulæ non amplæ est Ceæ, & Ægina, quam Athenienses quidam justit, ut lemam detraheret Piræo, histriones bonos, & poetas alit. *Plut. in Demosthene.*

ARTIFICIALES POETÆ.

☞ *Ex poetarum loco delectus habeatur.*

Baptista Mantuanus Carmelitanus, ne videretur aliquid intactum reliquisse, ad Poesim animum addixit.

POETÆ ACCIDENTALITER CONSIDERATI,

RESPECTU SCILICET

SEXUS. SIVE SINT

VIRI.

☞ *Ex Poetarum Titulis huc pleraque.*

MULIERES. POETRIÆ.

Maria Moysis soror à lepra liberata, divino spiritu afflata hymnum Deo cecinit. F

Phemenoe Apollinis filia, vigintiquinque annis antè Linum floruit, prima apud Græcos carmen hexametrum invenit, & Acrisio oracula cecinit. Unde cùm Plinius inquit: Carmen heroicum nos Delphico oraculo debere, quidam de Phemenoe intelligi volunt, quæ Acrisio hoc carmine vaticinata fit, Delphis. De Herophile Delphica, de Cumana, de Sabba Palæstina, *vide Pausaniam in Phocicis.*

Sibyllas decem fuisse, vulgò asserunt. Sed longè plures fuerunt. Omnes enim mulieres, quæ divino afflatæ numine futura predicerent, Æolica lingua Sybyllas dictas volunt, σὺς σίβ' (id est, Dei) βουλάς. Prima fuit Sambethe, sive Sabbe, persica, Hebræa, & Chaldæa (perperam Chalcidica dicta), Berosi filia: tempore Noe vixit, uni filiorum ejus nupta arcam ingressa: de turri Babylonica, de Alexandro, de Christo clarissimè vaticinata est. Secunda, Libyca. Tertia, Delphica, Artemis, antè Trojana tempora, Trojæ excidium prædixit: ex cujus versibus Homerus multa dicitur mutuatus. Quarta, Cimmeria ex Italia, quæ à Lactantio perperam Cumæa dicitur. Quinta, G
Erythræa, (quam Herophilem vocat Suidas) è regione Erythris, quæ olim Batti dicebatur, filia Lamiæ, vel Theodori, vel Aristocratis, & Hidoles, quam Phœbus amavit, & tot annos vivere dedit, quot arenæ granula pugillo contineret. Hujus esse Sibyllinos libros Romanorum quidam arbitrantur sed malè. Alii Siculam vocant, alii Sardam, alii Rhodiam, Alii Libyssam, alii Samiam. Apollodorus, & Suidas, tempore belli Trojani vixisse, & Trojæ excidium prædixisse ajunt: Homeri quoque nugas, & Æneæ errores donec mensas ambederent. Cyrillus eam nona Olympiad. floruisse ait, Augustinus sub Romulo. In lucem primùm edita, loqui cœpit de rebus gravissimis, Sexta, Samia Phyto, aliis Phemenoe, Olympiade decima septima. Septima Cumæa, seu Cumana, Amalthæa, seu Herophile, Jovis & Lamiæ Neptuni filia: quæ prima inter mulieres oracula cecinisse dicitur. In Troade decessit, in templo Smynthii Apollinis sepulta. Hanc Virgilius Deiphoben Glauci filiam facit: & scriptorum plerique Tarquinio prisco libros Sibyllinos ab hac oblatos esse dictant. De qua re sub *Tit. Pretium justum exigere, sub loco Liberalitatis.* Extat adhuc ejus crypta Cumis, in qua expugnanda Narses plurimùm laboravit, cùm Gothi Cumas tenerent. Octava, Hellespontia, & à pago Marpeso, Marpesia: floruit tempore Cyri, & Solonis: H
cujus imaginem Gergithii cives unà cùm Sphinge in suis exprimebant monetis. Decima, Tyburtina, Albunea, quæ Tyburi, ut dea colebatur. Aliis Leucothea dicitur. Quam stupidi, quidam Augusto Cæsari Virginis filium è cœlo ostendisse ajunt: quo loco in Capitolio Cœli ara adhuc est erecta. Multæ aliæ hoc nomine circumferuntur, ut Manto: Daphne Tiresiæ filia, quæ captis Thebis Delphos missa est: Cassandra Trojana, Xenoclea, Helissa, Lampusa.

Sappho Mitylenæa, Scamandro nimis ex Cleide uxore filia, nupsit Cercolæ ex Andro insula, viro ditissimo, ex quo Cleida filiam suscepit. Quo mortuo, variis, & impudicis amoribus diffamata est, adeò ut vulgò Tribas vocaretur. Hujus tres discipulas facit Suidas. Anagoram Milesiam, Gongylam Colophoniam, & Eunecam Salaminiam. Totidem ab ea puellas amatas, Atthida, Telesillam, & Megaram: addunt alii Pyrino, Mnaida, Anactoriem, Cydno, Cyrenen, Amythonem: tandem & Phaonem Lesbium adolescentem. Quamvis Suidas alteri Sappho Lesbiæ quidem, sed non Mitylenæ verùm Eresliæ, hoc tribuat, quæ se desiderio Phaonis absentis

absentis in Sicilia, ex Leucade in mare præcipitem dederit. Qui-
A dam ab ea plectrum excogitatum scribunt. Scripsit novem libros Lyricorum, Epigrammata, Jambos, Elegias Monodias, Epithalamium, & alia quædam. Æolico charactere usa est. Ab hac Sapphicum carmen deductum, item Æolicum, & Anapæsticum, Harmoniam præterea Mixolydii reperit. Gratiam in carmine maximam habuit ex anadiplosi Alcæo coæva, sed Anacreonte senior, tempore Alyattis patris Cœsi Olympiade 60. Ei similem nullam fuisse, Strabo asserit, unquam. *Gyraldus ex Suida.*

Corinna Thebana, vel Tangræa, Achelodori, & Procratiæ filia, Pindarum quinquies vicit: tum quia Corinna Æolicè scripserat, Pindarus Doricè: tum quia pulchritudine sua judicum animos facilè flexerat. Eam ob rem Tanagræi ejus imaginem in gymnasio, loco illustri posuerunt, caputque tænia revinctum, *teste Pausania in Boeticis.* Myrtidis discipula fuit: & est Myja, id est, Musca, ab aliquibus dicta. Fuit enim Myja Thespiaca mulier, quæ lyricos versus ad lyram aptissimè concinebat: item & altera Spartana, quæ hymnos in Apollinem, & Dianam conscripsit. Scripsit nomos lyricos, & Epigrammata. Ab hac amicam suam falsò Corinnam nominasse
B Ovidium, quidam asserunt. Fuerunt duæ aliæ Corinnæ lyricæ, Thespia, seu Corinthia, quæ & ipsa lyricos nomos scripsit: altera Thebana, & ipsa Musca cognominata. *Gyraldus Dialog. 9. Hist. poet. ex Suida.*

Theano Locrensis poetria, hymnos, cantica lyrica, & mele scripsit. Fuit alia uxor Pythagoræ poetria itidem. Fuit tertia Thuria, vel Metapòtina, Lycophronis filia, Pythagorica, Charisti, vel Crotoni Brontini poetæ uxor, teste Suida. *Idem.*

Chrarixena, carminum, quæ Crumata dicuntur, poetria, Suidas tamen fatuam, ac stultam meretricem fuisse ait.

Mœro puella, hymnum elegantissimum in Neptunum cecinit. *Ioidem.*

Tharaxandra, Thesprotis, Phaennis, Nicostrate Evandri mater, à carminibus Carmenta, prius Themis appellata, & similes aliæ, mulieres, & doctrina, & vetustate celebres.

Boco mulier Delphorum indigena, oracula, & hymnum apud eos composuit. *Hæc ex 20. dialogo Hist. poet. Gyraldi.*

Cleobule Lyndia ex Rhodo, filia Cleobuli unius ex septem Sapientibus, aliàs Eumite, & Cleobulina dicta, eodem scribendi genere patrem secuta, Griphos, & Ænigmata scri-
C psit, quale est illud, quod circumfertur.

Est unus genitor, cui uni sunt pignora bis sex:
His quoque triginta natæ, sed dispare forma,
Hæ niveæ aspectu, nigræ sunt vultibus illæ:
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes. Suidas.

Praxilla Sicyonia, 82. Olympiade floruit, quam Antipater Thessalus primam inter novem Lyricas enumerat. Scripsit & Dithyrambos, metrumque Praxillum ab hac dictum. Hæc in metro inducit Adonidem apud inferos interrogatum, quid formosissimum apud superos reliquisset? respondisse, Solem, Lunam, ficus, mala, & cucumeres. Ex quo proverbium in stupidos, πλουσιώτερος πραξίλλης ὠδῶν ἀκούσας. Admirabilis fuit in convivialibus carminibus, Scoliis dictis. *Athen. l. 15. c. 21.*

Nossis poetria, cujus epigrammata Græca leguntur, eam Antipater quoque inter Lyricas connumerat.

Myro Byzantia Elegias, & Mele scripsit. Mater Homeri, una ex Plejadibus dicitur fuisse. Uxor Andromachi philologi illustris. Ejus statuam fecit Cephisiodotus, *teste Taciano.*

Erinna Lesbia, & Sapphus concubina (secundùm Tacia-
D num) vel Teja, vel Rhodia, vel Telia (ab insula Telo, quæ Cuido propinqua est) vel Tenia, à civitate Laconiæ Teno. Quidam eam adhuc virginem decimonono ætatis anno obiisse scribunt. Notum est epigramma in eam: σκαφὶς δ' ἤρινναι δόξαν μαλλιστὶ ἀμείλικτον, ἡ ῥίννα σκαφὶς πόσον ἐν ἔξαμέτροις. Scripsit Dorica, & Æolica lingua ὀλακάτῳ poema trecentis versibus, & alia Epigrammata. Versus ejus ad Homericam majestatem accessisse feruntur. *Suidas.*

Anyte Epigramma in Temistoclem, & versus quosdam in aves, qui adhuc hodie leguntur, composuit. ☞ *Vide Titulum, Cæci curati.*

Myrtis Anthedonia, Ochnæ puellæ necem (quæ Eunosti herois mortis causa fuerat) descripsit.

Telesilla Argiva, sive Thestelis, Praxillæ coæva, cum Lacedæmonii Argos expugnassent, ipsa assumptis mulieribus, Laconas armis repulit, patriamque tutata est. Ejus rei causa statua ei Argis posita est, ante templù Martis mulierbris: ad cujus pedes libri erant sparsi, galeam verò manibus tenebat, tanquam eam capiti impositura esset. Scripsit Odas, & Epigram. *Suidas.*

Antipatri in primo Græcorum Epigram. tale est epigramma de Mulieribus doctis. E

Τάσδε θεογλώσσους ἐλαλοῦν ἔδρα τε γυναῖκας
ὕμνοις καὶ μακάδεσσιν πτερόεσσα σκόπελος.
Πραξίλλαν, Μυρὼ, Ἀνύτης σόμα, δῖλλαν ὄμηρον.
λεσβιάδων Σαπφοῦς κόσμον ἐυκάτλομον.
Ἤρινναν, Τοκέουσαν ἀγαπελίκα, καὶ σὲ Κόρινναν,
δῶρον ἀδωναίης ἀστιδὸς μυκλαμένων.
Νοσσίδα δικλογλώσσου, ἰδὲ γλυκυπαιχίας Μύραν,
πάσας αἰνοῦσιν ἐργάπαδας σοφίδων.
εὐνέα μὲν μάσας μέγας οὐρανὸς εὐνέαδ' αὐτὰς
γαῖα τέκε δρεπὶς ἀφίνην, εὐφροσύνων.

Aspasia Milesia à Pericle amata, & Socrate, sophistria fuit, nec minus poetria. Athenæus quosdam ejus versus recitat. *Gyrald. in Hist. poet.*

Clitagora Lacedæmonia, cujus Aristophanes meminit. Alexandrina Hestiæa, de qua Strabo multa, de Homerica Iliade scripsit. *Idem.*

Hedyle, Hedylogi Samii mater, qui poeta dicitur fuisse ab Athenæo libro quarto. Filia fuit Moschinæ Atticæ Jamborum poetriæ. Scripsit poema Scyllam inscriptum, de amo-
ribus Glauci *Idem.* F

Megalostrate poetria amata ab Alcmane poeta,

Damophila, Pamphili uxor, Sapphus, amica, & imitatrix: cujus hymni in Dianæ Pergeæ sacris concinebantur. Æolico, Pamphylicoque ritu. Scripsit & amatorios libros. *Idem.*

Elephantis, & Elephantine, lascivissima femina, quæ tanquam Spinthria, varia concubituum genera descripsit. Ex cujus libellis Lalage Priapo dat donum in Priapeis poematiis: & Tiberius Cæsar cubiculum expositis figuris instruxerat, ne cui libidinis exemplar deesset. *Gyrald. in Poet. hist.*

Philænis meretrix Leucadia, vita, & carmine impurissima. Elephantem imitata est. Utraque tamen, si Suidæ credimus, Astyanassam Helenæ Menelai ancillam imitata est, quæ primæ fertur κακοκλίνειαν in Venere invenisse, & de concubituum figuris libros reliquisse. *Idem.*

Cornificia virgo Romana, imperante Augusto, in omni poeticæ genere Cornificio fratri poetæ insigni par habita. *Fulg. lib. 8. cap. 3.*

Argentaria Polla Lucani conjux, quæ marito mortuo Pharsaliæ opus emendavit, etiam adjuvasse in scribendo virum G
dicitur: insignis genere, operibus, forma, ingenio, pudicitia. De qua sic Calliope *apud Statium* Lucano loquitur:

Nec solum dabo carminum nitore,
Sed tædis genialibus dicabo
Doctam, atque ingenio tuo decoram,
Qualem blanda Venus, daretque Juno,
Forma, simplicitate, comitate,
Censu, sanguine, gratia, decore,
Lud. Vivez, de Christ. fem. l. 1. & Fulg. l. 8. c. 3.

Idem de Calphurnia conjuge Plinius Secundus scripsit *Fulg. lib. 8. c. 3.*

Theophilam, *Cujus Cecropia pectora voce madent*, sui celebrat versus *Martialis*, quam

Carmina fingentem Sapphi laudarit amatrix.
Castior hæc, & non doctior illa fuit.

Sulpitia Domitiani tempore virum habuit Galenum, cum quo quindecim annos conjunctissimè vixit. Epigrammata scripsit, & sua tempora deflevit. Commendat ejus scripta *Martialis lib. 10. Epigram.* illustri præconio.

Omnes Sulpitiam legant puellæ, H
Uni quæ cupiunt viro placere.
Omnes Sulpitiam legant mariti,
Vni qui cupiunt placere nuptæ.
Non hæc Colchidos asserit furorem,
Diri prandia, nec refert Thyestæ,
Scyllam. Byblida nec fuisse credit:
Sed castos docet, & pios amores,
Lusus, delicias, facetiasque
Cujus carmina, qui benè æstimarit,
Nullam dixerit esse sanctiorem.
Tales Egeriæ jocos fuisse
Vdo crediderim Numæ sub antro.
Hac condiscipula, vel hac magistra
Esses doctior, & pudica Sappho:
Sed tecum pariter, simulque visam
Durus Sulpitiam Phaon amaret.
Frustra namque ea, nec Tonantis uxor,

Nec Bacchi, nec Apollinis puella
A *Erepto sibi viveret Caleno.*

EUDOCIA Theodosii junioris Imperatoris uxor, carminum studiosissima (unde φιλοστιχὸς dicta) Leontii sophistæ Atheniensis filia, Athenais appellata: postea cum Imperator nuptias illius expeteret, eam baptizari curavit ab Attico magno Episcopo Constantinopolitano, & pro Athenai Eudociam nominari, quòd scilicet regi optimè placuisset. Quidam huic Centonem de Christo Domino adscribunt, ὁμηροκέντρα dictum, quem alii Probæ tribuunt. Cyrum Panopolitam poetam ad præfecturam prætorii extulit. *Gyrald. in Hist. poetica.*

Proba Val. Falconia, Romana matrona, Adelphi Romani viri proconsularis uxor, sub Honorio, ac Theodosio juniore. Centonem Virgilianum de Christi vita compofuit, & Eudociæ Theodosii conjugi transmisit. Idem quoque in Homeri versibus fecisse dicitur, ὁμηροκέντρα appellant, quamvis alii hæc Eudociæ tribuant. *Idem.*

Helpis uxor Boetii Severini, Rom. patricii, Sicula natione, literarum studio, & in primis poeticæ celebris. Extant ejus humni in Apostolos, non vulgari dicendi stylo.

Aurea luce, & Felix per omnes.

B Quos ejus esse, omnes constanter asserunt. *Idem Dial. 5. hist. poeticæ.*

Rosoita, vel Rosuida, monialis Germana apud Saxones, Othone I. & II. imperantibus scripsit Panegyricum de Othonum gestis: Comœdias sex: laudes Virginis matris elego versu: D. Dionysii vitam, & alia.

CHARACTERIS, POETÆ. GRÆCI, LATINI.

☞ *Horum ex præcedentibus pleraque exempla.*

ITALI.

Dantes Aligerius Florentinus, Hetrusca lingua Lucretius alter: vir doctissimus, in Theologia scholastica versatissimus, scripsit de Purgatorio, de Inferno, de Paradiso.

Franciscus Petrarcha Florentinus, in Latina lingua ætatis suæ injuria non magnus, at in vernacula maximus, rhythmis lyricas cantiones, & epigrammata amatoria in Lauram suam scripsit. Item dialogos de remediis utriusque fortunæ, & alia pleraque digna, quæ omnium manibus teruntur.

HISPANI.

Ioannes de Mena, Hispanorum poetarum celeberrimus,
C claruit sub Joanne II. rege Castellæ. Scripsit metro Hispano opus varium, omnique eruditionis genere refertum, posteritatique adeò admirandum, ut non injuria inter tot poetas Castellani vatis cognomentum meruerit, quod & elegantissima ejus carmina luce clarius indicant. *Tarapha de Regibus Hispanis.*

GALLI.

Clemens Marotus Cadureus, non superioris modò, quæ paulò fuit incultior, verùm suæ etiam ætatis poetas omnes, populari sermone Gallico longè superavit. Latinæ quidem linguæ non ita magnum habebat usum, sed doctorum hominum consuetudine multum profecit: nec erat ferè quidquam in poetarum libris, quod ipsum fugeret: ita quidem, ut ex illorum scriptis pleraque traduceret ad suum institutum. Cæterùm in hoc culpandus, quod liberè, & indiscretè effutiret, quidquid in mentem veniret, & labe hæresis Calvinianæ respersus videretur. Unde & pleraque operibus suis insperfit censuræ subiicienda.

Janus Antonius Baysius, Lazari I. C. Fil. à Joan. Aurato, in Græcis Latinisque studiis eruditus, postquam sui esset juris omne studium ad Poesin applicuit: fuitque inter præcipuos
D Poetas Gallos, qui vernaculum sermonem illustrarunt, & repurgarunt à crassa illa ignorantiæ fæce, qua tot seculis anteactis situ, & sordibus obruta squalebat. Omnem elegantiam ex Callimacho, Pindaro, & Horatio simul collegit, & ad usum linguæ Gallicæ artificiosissimam methodum adhibuit: primusque adeò, rudes, & incultos rhythmos ad suavem harmoniam, & prosodiam, pedibus, mensurisque constantem reduxit. *Boissard. in ejus vita.*

GERMANI.

Ioannes Saxo, sutor Morimbergensis, lingua vernacula rhythmos edidit tribus Voluminibus magnis comprehensos pari facilitate, & perspicuitate: ut magno etiam cum stomacho, & pudore literatorum inertium, admiratione dignum videatur, hominem idiotam, & quidem victus causa sutrinæ addictum, tantùm ità in perlegendis historiis veterum, quas passim fuis poematis, atque dragmatis inseruit, habere potuisse, quantum sibi fola inventio, & elocutio poetica deposcebant: neque minus laudabile, naturæ bonitate ad extremam usque senectam in hocce studio perstitisse.

POLONI.

Zamolxis Pythagoræ servus Medicinam Thracibus, atque E
Getis, Anacharsis philosophiam Scythis, sed uterque in Græcia peregrinatus, communicat. At Joan. Cochanouvius ipsum Parnassum cum Musis in mediam Sarmatiam tanta cum felicitate, & dexteritate traduxit, omni genere metri Davidicos hymnos sermone patrio persecutus, ut non magis vario, vel in Italia, vel in Gallica lingua decantari potuerint.

MORUM POETÆ.

Libidinosi.

☞ *Consule Locum Intemperantiæ Venereæ, Avari.*

Simonidem tradunt primùm astutiam, & quæstum in artem induxisse. Erant illi duo scrinia, alterum Gratiarum, alterum Præmiorum: quæ cum post tempus aliquantum aperuisset Gratiarum arculam semper offendebat inanem, præmiorum semper plenam. Hoc commento significans, se nolle gratis donare carmina. Meminit hujus rei *Plutarchus in libello περὶ φ πολυπραγμοσύνης*. Unde *Aristophanes apud Suidam.* ὅσα σιμωνίδου μύραι, id est, Cane Simonidi carmina. Hinc proverbium, Simonidis Cantilenæ, de vafris, ac subdolis dictum est.

Refert *Arist. lib. Rhet. 3.* in certamine multorum, cùm is, F
qui vicerat, dixisset exile pretium pro carmine, Simonides recusavit, indignans mulos celebrare suo poemate: verum ubi victor dedisset satis magnum præmium; carmen tale fecit:

Χαίρετ' ἀδηποπόδων δυγάτηρες ἵππων. id est,
Salvetote volucri pedum soboles equorum.

Siluit enim, quod essent ex asinis quoque nati, & quod honestius erat, expressit, equorum filias appellans. *Eras. in Adagiis.*

Jocosi.

Ferunt Tellum quendam jocos quosdam versibus lepidissimis descripsisse, non sine multo sale scomatum. Meminit hujus Diarchus Messenius apud Zenodotum, item Plutarchus in Apophthegmatis. Inde proverbium, Cane Tellenis cantilenas, *Erasmus in Adagiis.*

Memorant, quempiam ad Archestratum poetam festivum, qui in mendicitate tamen, & obscuritate consenuit, dixisse. Tu verò si Alexandro contemporaneus fuisses, in singulos versus Cyprum tibi, vel Phœniciam donasset. *Plut. Orat. 2. de Alex. fort.*

POETÆ INDOCTI, INEPTI. VITIA.

POETICA.

☞ *Consule Tit. Imitationis theoricæ curiosæ, & ineptæ.*

Tynichus Calcidensis poeta ineptus, Pæanem tamen in Apollinem scripsit, omnium carminum revera pulcherrimum, quem ipse vocavit Musarum inventum, quasi illarum afflatu, non arte propria illum scripserit. Quo ipso putat Socrates apud Platonem in Jone Deum ostendere voluisse, præclara poemata non esse ex hominibus, sed ex diis nata.

Apud Aristophanem in Ranis, Bacchus inducitur descendens ad inferos, ut Euripidem, aut bonum aliquem poetam inveniret. Apud Superos enim neminem reperi, nisi malum. *Erasm. in Adagiis.*

Μουσῶν ὄρνιθες, id est, Musarum aves, Theocritus in Thalysia appellat Poetas, quòd lusciniarum in morem assiduè canant, sua poemata. Scholiastes admonet, omnes aves canoras Musarum aves appellari. Sentit autem sibi displicere poetas, qui cuculorum more audent Homero occinere. *Erasm. in Adagiis.*

Chœrilus ineptus poeta, circa Olymp. 113. castra secutus est Alexandri Magni, ejusque gesta perscripsit adeò ineptè, ut Alexander dixerit, malle se Homeri Thersitem esse, quàm H
Chœrili Achillem. Cum eo præterea pepigit, ut pro singulis bonis carminibus singulos aureos, pro malis colaphos acciperet. Verùm opere jam perfectò cùm recitaret, tot mala inventa esse dicuntur, ut alaparum multitudine enectus sit. *Gyraldus. Dialog. 3.* Hunc *Arist. in Top.* Homero opponit, quando exemplis Homericis, non Chœrileis utendum esse præcipit.

Helymon malus, & ineptus poeta, ab Alexandro Magno in cavea mori coactus est, quòd gesta regis magis coinquinasset, quàm descripsisset.

Calliphanes Parabrycontis filius ostentator, multa se componere jactabat, & tres, vel quatuor versus inter doctos recitabat, ut multiscius esse videretur. *Suidas, & Athenæus.*

Hippias Elliensis sophista, Olymp. Socrati coævus, quem Plato sub persona Socratis irridet, quòd cum omnium rerum scientiam se habere dicitare, Poeticæ quoque, & Musicæ, tamen revera indoctus in his omnibus esset. *Gyrald.*

Speusippus, Platonis ex sorore nepos, ad nuptias Cassandri regis Macedonum profectus, frigida sua poemata spe præmii recitavit. Unde ἐφεστὴς ὑμνητὴς à Philostrato in vita Apol-
A lonii appellatur. *Gyrald. Dial. 3. hist. poet.*

DEMONAX Admeto poetæ insulso, jactanti epigramma monostichon, quod testamento mandasset suæ addendum statuæ (carmen erat,

Corpus humo tegitur, Admetus ad astra volavit)

respondit, adeò sibi placere carmen, ut magno emptum cuperet, si jam nunc esset ascriptum. Rectè optans illi mortem, qui vita erat indignus: *Erasm. lib. 8. Apophth.*

AGIS Argivus, poeta pessimus post Chœrilum, cum Alexandro varias regiones perlustravit, eique assentatus est. Item Cleon Atheniensis, demagogus scurrilis, & audax. *Plut. in Nicia.*

Periander quidam (non ille Corinthius) Medicus egregius, poetam tamen se videri volebat. Poemata ergo illepida quædam passim recitabat. Unde Archidamus Agesilai filius illi dicere solebat: Qui fit, ò Periander, ὅτι ἄνευ χαρίεντος ἰατρὸς κακὸς ποιητὴς καὶ λίθινα ἐπιδυμεῖς; *Gyrald. in 3. dialog. hist. poet. ex Plutarchi Laconicis.*

ARISTYLUS, ridiculus, turpis, & infamis poeta, quem *Aristophanes in Pluto* perstringit.

B ARISTARCHUS Tegeates tragicus, Olymp. 82. vixit, docuit fabulas 70. atque in iis bis tantùm vicit, suo potiùs, quàm auditorum vitio. Vixit annos suprà centum:

THEOGNIDEM tragœdiarum scriptorem frigidissimum fuisse, testatur *Suidas.*

CARCINUS Atheniensis tragicus, 160. fabulas docuit, in una sola vicit. Floruit 100. Olympiade, sub Philippi Macedonis tempore. Ab Aristophane in fabula, quæ ἥρως inscribitur, gravissimè reprehenditur cum suis filiis. Ab hoc proverbium manavit, Carcini poemata, pro obscuris, & ænigmaticis scriptis. Induxit enim ille Orestem, obscuris verborum involucris parricidium fatentem. Cùm Stratonicum quendam parùm scitè canentem audiret, & cujus id carmen interrogans, Carcini esse, responsum fuisset: Καρκίνου μᾶλλον, ὦ ἀνδράπα: Multò quidem magis cancri, quàm hominis, respondit.

DIONYSIUS Siciliæ tyrannus, Olympiorum tempore instante misit pro certamine habendo quadrigas, ut multas, ita celeritate aliis omnibus præstantes, misit quoque pro panegyricis ludis, scenas auro, artificioque pretiosas. Accersivit de-
C nique cantores, quos mitteret, præstantissimos, qui poemata ejus in panegyri accinentes, magnam ei laudem, & gloriam pararent. Erat enim poeticæ valdè studiosus. Hisce omnibus tanquam procuratorem præfecit fratrem suum Thearidem. Qui, cùm in panegyrim venisset, in magna est habitus existimatione, tam propter scenarum pulchritudinem, quam quadrigarum multitudinem. Postquam autem cantores recitare Dionysii poemata cœpissent, primum quidem propter vocis suavitatem ingens hominum multitudo concurrit, qui omnes admirabantur. Posteà verò cùm poematum vitia animadvertissent, non minus deridere Dionysium cœperunt, & adeò contemnere, ut quidam eorum etiam scenas disrumpere ausi fuerint. Lysias rhetor, qui in Olympiis tum erat, multitudinem hortabatur, ne sacris ludis admitterent ab extremæ impietatis tyranno missa spectacula, cùm quidem panegyricam a se scriptam orationem populo recitavit. Finito autem Olympico certamine, accidit fortè fortuna, ut Dionysii quadrigæ partim à cursu exciderent, partim à se invicem impulsæ, contererentur. Parum etiã abfuit, quin navis quoque, qua redeunte à certamine in Siciliam spectatores vehebantur, procul ab Italia vi ventorum depulsa Tarentum compelleretur. Unde
D nautas fertur, salvos Syracusas revertos, passim per urbem rumorem sparsisse, non solùm histriones, sed & ipsas quadrigas unà cum navi propter carminum vitia ejectas esse. At Dionysius audita poematis sui irrisione, non quidem à poetica animam abjecit, assentatorum oratione confirmatus: omnibus namque rebus præclaris usu venire, ut etsi diù invidi eas calumniati sint, postremò tamen ii ipsi admirati eas & depræditare cogantur. Ob lætitiam de tragœdiæ victoria periit, cùm oraculo futurum accepisset, perculum sibi, postquam meliores vicisset. *Diod. l. 14. & 15. Plin. & Gyrald. Dial. 7.*

Melitus Larii filius Atheniensis, tragicus ὑπο ψυχρὸς dictus, qui cum Lycone, & Anyto Socratem accusavit. Superbus, & improbus homo. Eum irridet Aristophanes. Post mortem Socratis, Athenienses pœnitentia ducti, Melitum lapidibus obruerunt, Pro Samiis quoque dux fuit contra Sophoclem poetam, Athenienfium Imp. Olympiad. 84.

LYCUS, & Amepsias inepti comici, in quos Aristophanes est invectus. Amepsias in Socratem scripsit, palliatumque in fabula induxit. *Laertius, & Suidas.*

MANSEÆ Colophonio poetæ, Salpæ cognomen populari joco fuit inditum, eo quòd in carmine varius esset: nam E
is piscis mirè picturatus est, aureis, rubentibusque lineis à cervice ad caudam usque per argentea latera certis intervallis deductis, cùm alioqui sit illaudati saporis. *Erasm. in Chiliadibus.*

THEOGNIS Tragicus à carminum frigiditate Chion dictus est, à nive scilicet. *Gyrald.*

BATTUS Lyricus, dum simulacra, & statuas versibus, ac hymnis celebraret, mensum excedebat legitimum, candemque sæpiculè cantilenam recinebat. Quod iterationis vitium, & nimietatis, inde etiam Battologia nuncupatur. Quo & Ovidium laborasse, Seneca scribit. Propterea Montanum declamatorem, sententias suas repetendo corrumpentem, dum non est contentus unam rem semel benedicere, Scaurus inter Oratores, Ovidium vocare solebat: qui & ipse nesciat, quod benè cessit, relinquere. Cùm Polyxena esset adducta tumulo Achillis immolanda, Hecuba dixit,

—— *Cinis ipse sepulti*
In genus hoc pugnat.

Poterat esse contentus: adjecit:

—— *tumulo quoque sensimus hostem.* F

Neque hoc contentus, addidit,

Æacidæ fœcunda fui.

Ajebat Scaurus, Non minus magnam virtutem esse, scire desinere, quàm scire dicere. *Cælius l. 13. c. 1. A. L.*

PHILONIDES Atheniensis filius Meletei, primùm fullo, deinde comicus priscus. Quem Aristophanes propter inscitiam carpit: item quòd parasitos alteret, & Laidis meretricis amore, Corinthi versaretur. Hinc proverbium, ἀπαδὲ ἕτερος φιλωνίδου πρὸς μελετίου. *Gyrald. Dial. 6. hist. poet.*

ANTIMACHUS Colophonius, Hipparchi filius, grammaticus, & poeta, Platone aliquantò senior: cùm convocatis auditoribus, Thebaida suam (in qua, antequam septem duces ad Thebas perduceret, vigintiquatuor libros consumpserat) recitaret, & eum omnes præter Platonem reliquissent, dixit: Plato instar omnium. Huic secundas in Heroico dedit Quintilianus. At certè ob Macrologiam inter ineptos connumerari meretur.

Cinesias Atheniensis, vel Thebanus, dithyrambopœus, pyrrhichiam saltationem composuit planè ineptam, ut in prover- G
bium abiisse videatur, ἠκάμηκος πυῤῥιχίαν ἐμαδὲ κινησίου, Vel camelus Cinesiæ pyrrhichiam edidicit. *Gyrald. Dial. 9. hist. poet.* De eo sic *Plut. de gloria Athen.* In poesi, vel modis condendis non habuit Atheniensium urbs artificem celebrem. Nam Cinesias odiosus fuisse videtur dythyramborum poeta, atque ipse insœcundus, & inglorius extitit. Derisui autem, & ludibrio habitus à comicis, infelix ad gloriam fuit.

In Eutychidem poetam *Lucullus in 2. Epigr.* sic ludit.

Τοῦτο εὐτυχίδης ὁ μελογραφος οἱ κατεκαίετο
φεύγατ', ἔχων φῶς ἐς ὀρχεστεα εὐτυχίδης.
ἢ κιθάρας ἀνῶ διπτέρκεσσ συγκατακαυθεῖσα
δοῦναι, ἢ κίστας εἰκοσίπεντε νόμων.
νῦν ὑμεῖν ὁ χάρων ὑπεκλέψατο πᾶς ὁ πόλεμος
λοιπὸν, ἐπεὶ ἢ γλῶ εὐτυχίδης κατέχει.

Poeta quidem de plebe, L. Syllæ, proscriptorum bona venenti, rude obtulit epigramma, alternis tantùm versibus longiusculis. Ei statim Sylla partem bonorum, quæ vendebantur, largitus est: ea tamen conditione, ne quid in posterùm scriberet. *Cic. pro Archia.*

Boethus quidam Tarsensis, inepto carmine in M. Ant. victoriam Philippicam conscripto, gymnasio præficitur. *Strabo l. 14.* H
Cordubenses poetæ mali, crassum, pingue, & peregrinum quid sonantes, à Cicerone pro Archia introducuntur: quorum scripta tamen L. Lucullus spe gloriæ immortalis legere, & audire non recusavit.

Sextilius Hena Cordubensis, ingeniosus magis, quàm eruditus, versus de morte Ciceronis edidit. *Gyrald.*

Anser, petulans, & indoctus poeta, Virgilii æmulus, & M. Antonii Triumviri amicus, cujus laudes composuit, & ab eo agro Phalerno donatus est. Meminit hujus *Virgil. in Bucol.*

—— *argutos inter strepere Anser olores.*

Aquinus apud Catullum ineptus poeta, sibi tamen plurimùm placens. Ciceroni etiam notus. Similes huic Calvus apud eundem, & Cæsius, qui duos libros scripsit, in quorum priore hoc carmen erat:

Has res te scriptas Luci misimus Heli.

Mævius Virgilii, & Horatii æmulus, quê, quod putidus esset, Horatius olentem appellat, suis ignoscentem vitiis, aliena mordacissimè

dacissimè infectantem. Egomet mi ignosco, Mævius in-
A quit. Hic cùm Athenas petulanti carmine lacerasset, in carcerem conjectus, inedia perire coactus est. *Gyrard. Dial. 4. Hist. poet.*

M. Bavius poeta, Virgilii æmulus in Cappadocia moritur, Olympiad. 186. Hunc cum Mævio, *Catullus* insaceto infacetiorem rure fuisse, ait.

Paro Virgilii æmulus, qui in bucolicis duas Eclogas insulissimè derisit his versibus:

Tityre si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?
Dic mihi Damœta, cujum pecus, anne Latinum?
Non, verùm Ægonis, nostri sic rure loquuntur.

Fannius quidam (non ille Lælii gener, historicus) antè Virgilium, poeta ineptus, sed garrulus, & locuples. Qui cùm sine liberis esset, hæredipetæ carmina ejus laudabant, & in bibliothecas transferebant: statuas quoque, & imagines ponebant, ut scilicet ab eo hæredes scriberentur. *Gyrald. Dial. 4. Hist. poet.*

Suffenum urbanum scurram, sed ineptum poetam, mirè interim sibi ipsi placentem, *Catullus* suis perstringit carminibus:

B *Suffenus iste Vare, quem probè nosti,*
Homo est venustus, & dicax, & urbanus,
Idemque longè plurimos facit versus:
Puto esse ego illi millia, aut decem, aut plura
Perscripta, nec sic, ut fit, in Palimpsesto
Relata: chartæ regiæ, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra membranæ
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.
Hæc cùm legas, tum bellus iste, & urbanus
Suffenus, unus caprimulgus, aut fossor
Rursus videtur: tantùm abhorret, ac nutat.
Hoc quid putemus esse? qui modò scurra,
Aut si quid hac re tritius videbatur,
Idem infaceto est infacetior rure,
Simul poemata attigit; neque idem unquam
Æque est beatus, ac poema cùm scribit:
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur. Neque est quisquam
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus cuique attributus est error:
Sed non videmus manticæ, quod in tergo est.

C De ineptis Poetis fui temporis, sic scribit. *Horatius in Arte:*

Ut mala quem scabies, aut morbus regius urget,
Aut phanaticus error, & iracunda Diana,
Vesanum tetigisse timent, fugiuntque poetam.
Qui sapiunt: agitant pueri, incautique sequuntur.
Hic dum sublimes versus ructatur, & errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foveamve, licet, Sucurrite, longum
Clamat, Jo Cives, non fit, qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre, & demittere funem,
Quis scis an prudens huc se dejecerit, atque
Servari nolit? dicam: sicutque poetæ
Narrabo interitum, Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Insiluit. Sit jus, liceatque perire poetis:
Invitum, qui servat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit: nec si retractus erit, jam
Fiet homo, & ponet famosæ mortis amorem.
Nec satis apparet, cur versus faciat: utrùm
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
D *Moverit incessus: certè furit, ac velut ursus*
Obiectos cavea valuit si frangere clathros,
Indoctum, doctumque fugat recitator acerbus:
Quem verò arripuit, tenet, occiditque legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.

Actius Labeo, poeta indoctus, ætate Persii Satyrici vixit, & Iliada Homeri, versibus fœdissimè in Latinum vertit, ita obscurè, ut nec sua ipse agnosceret. *Gyral. Dial. 8. Hist. poet.*

De Ligurino *Martialis Epigr. lib. 3.* hæc habet:

Fugerit an mensas Phœbus, cœnamque Thyestæ
Ignoro: fugimus nos, Ligurine, tuam.
Illa quidem lauta est, dapibusque instructa superbis,
Sed nihil omninò te recitante placet.
Nolo mihi ponas rhombum, mullumve bilibrem,
Nec volo boletos, ostrea nolo: tace,

Ad Pontilianum *Idem Epigram. l. 7.*

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane tuos.

Ad Varum *idem Epigram. lib. 8.*

Cùm facias versus nulla non luce ducentos, E
Vare, nihil recitas. Non sapis, atque sapis.

In Raucum poetam collum lana tegentem, *Martialis Epigr. lib. 6. sic ludit:*

Qui recitat, lana fauces, & colla revinctus.
Hic se posse loqui, posse tacere negat.

Ab Bassum *idem lib. 5.*

Colchida, quid scribis, quid scribis, amice, Thyestem?
Quid tibi vel Niobe, Basse, vel Andromache?
Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
Deucalion: vel, si non placet hic, Phaethon.

In Mamercum *idem lib. 2.*

Nil recitas, & vis Mamerce poeta videri:
Quicquid vis esto, dummodò nil recites.

Ad Theodorum *lib. 5.*

Non donem tibi cur meos libellos
Oranti toties, & exigenti,
Miraris, Theodore. Magna causa est:
Dones tu mihi ne tuos libellos.

De eodem *lib. 11.*

Pierio vatis Theodori flamma Penates F
Abstulit: hoc Musis, hoc tibi, Phœbe, placet.
Oscelus, ò magnum facinus, crimenque deorum,
Non avsit pariter, quòd domus, & dominus.

In malum poetam, quem mutato nomine Utricellum vocat, sic ludit *Julianus Pontanus:*

Non sunt carmina, sed cacationes,
Quæ se scribere iactat Utricellus.
Est merdosus omnibus latrinis,
Quod se scribere iactat Utricellus.
Obtura miserum Camœna nasum,
Ne te carmina tam cacata lædant.
O merdosa poemata, ò quid unquam
Erit, vel fuit his magis cacatum?
Quamprimum Medicos mei sodales,
Ad me ducite: nam maligna febris
Dudum me tenet. Vt dii, deæque
Isti dent mala multa, qui nec unquam
Scribit carmina, sed cacationes.

In Posthumum sic ludit *Henricus Stephanus in Epigram.*

Esse tuos dicis limatos, Posthume, versus:
Hoc tamen à multis credere nemo potest. G
Scilicet ignorant, quidnam tibi lima vocetur,
Limanda, & quonam sint tua scripta modo.
Namque ut erant olim pro pectine rastra Cyclopi.
Pro lima certè sic tibi serra fuit:
Aut pro denticulis ingentis, Posthume, serræ
Limam illam dentes tunc habuisse reor.

Leo X. Pontifex Baraballum Cajetanum, qui insulsissimos versus ab omni vocum, & numerorum enormitate ridendos facere, & palàm recitare solebat, seque alterum Petrarcham in Hetruscis rythmis esse prædicabat, eò perpetuis adulationibus inflammatum gloriæ cupiditate perpulit, ut meritum gestandæ laureæ honorem postularit: subinde, ut insigni pompa in Capitolium duceretur: quòd in Capitolio Petrarcham coronatum quondam fuisse audivisset. Ibi cum diù ad ostentationem absolutæ artis ineptissimè multa carmina decantasset, omnibus jam in ipsa risus compressione defatigatis, ad extremum in area Vaticana despectante Pontifice elephantem ascendit aurato ephippio superstante triumphali sella instratum. *Jovius in Leon. X. l. 4.* H

POETICÆ USUS, TUM PER SE, EX PROFESSO.

In genere.

Poetas omnigenæ virtutis, prudentiæ, sapientiæ, magistros, Homerum in primis, Theologiæ, & Philosophiæ Oceanum, plerique dictitant, ex eo nimirum, quòd charactere poetico usi scriptores primi, animos vulgi ceperint, & quadam divinitatis opinione imbuerint. Cæterum quàm id, vel nullo, vel exiguo saltem Poetarum merito fiat, *Plato in libris de Republica* disertè ostendit. Ut ut sit, Horatii versus ex libro secundo, epistola prima de Poetica præstantia, digni sunt observatione, quibus inquit:

Os tenerum pueri, balbumque Poeta figurat:
Torquet ab obscœnis jam nunc sermonibus aurem:
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Asperitatis, & invidiæ corrector, & iræ.

Rectè

Rectè facta refert, orientia tempora notis
A *Instruit exemplis: inopem solatur, & ægrum.*
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem ni musa dedisset?
Poscit opem Chorus, & præsentia numina sentit:
Cœlestes implorat aquas doctâ prece blandus:
Avertit morbos: metuenda pericula pellit:
Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum.
Carmine dii Superi placantur, carmine manes.

Porrò *in Arte* sic scribit:

Sylvestres homines sacer, interpresque deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones,
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet. Fuit hæc sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis:
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis:
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen divinis vatibus, atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus,
B *Tyrtæusque mares animos in Martia bella*
Versibus exacuit: dictæ per carmina sortes,
Et vitæ monstrata via est: & gratia Regum
Pieriis tentata modis, ludusque repertus,
Et longorum operum finis: ne fortè pudori
Sit tibi Musa lyræ solers, & cantor Apollo.

In Specie. Utputa ad Fortitudinem Bellicam.

Tyrtæus ab Athenienſibus per ludibrium Spartam missus in auxilium contra Messenios, carmine militum animos ita inflammavit, ut tandem Messanam expugnarint. Eapropter civitate donatus est, & in tanta porrò fuit existimatione, ut cum hoste congresturi, ejus poemata canerent, & domi Trichoriam saltationem ex ejus præscripto exercerent. *Pausan. in Messenicis.*

Mores.

De usu Tragœdiarum Timoclis comici *apud Athenæum* extat *lib. 6. Dipnosophistarum, & apud Stobæum in παραγωγοῖς*, tale carmen:

C Ὅταν ἄκουσον ὧν σὺ σοὶ δοκῶ λέγειν.
ἀνθρωπός ἐστι ζῶον ἐπίπονον φύσει,
καὶ πολλὰ κἀπαρ' ὁ βίος ἐν ἑαυτῷ φέρει.
ὧδε ψυχὰς δοὺς φρονεῖν ἀνθρώπου
παύσας ὁ θεὸς τὸν ἴδιον κύκλῳ λαβὼν,
πρὸς ἀλλοτρίους ψυχαγωγοῦσι πάθεσι,
μεθ' ἡδονῆς ἀπῦδε παιδιᾶς ἅμα.
τοῖς γὰρ τραγῳδοῖς πρῶτον εἰ βάλοι σκόπει.
οἱ φιλοῦσι πάντες ὧν μὲν γὰρ πένης,
πτωχότερον αὐτὸ κατεμεμψάμην τ' ἀλήθειαν
γανύμενον, ὅπου τοῦ πενίαν ῥᾴον φέρει.
ὁ νοσῶν τὰ μανικὰν, ἀλκιμαίνων' ἐπιψόφει.
ὀφθαλμιᾷ τις, ἰσχνὸν ἴδεν τυραννὸν.
πεθνηκε τῷ παῖς, ἡ νύμφη κεκόφικε.
χωλὸς τὰς ἴσε, τοῦ φιλοκτήτου ὁρᾶς.
γέρων τὰς ἀτυχεῖ, κατέμεμψεν τοῦ οἰκέτου.
ἅπαντα γὰρ τὰ μείζω' ἢ πεπόνθε τὰς
ἀτυχήματ' ἄλλοις γεγένηται' ἐννούμενος,
πᾶς αὐτὰς ἑαυτῷ συμφορὰς ἤττον φέρει.

D *Amice, quæ dicturus ipse sim, cape.*
Natura homo laboriosus est ubi,
Vivensque multa fert profectò tristia,
Solamen invenit mali tragœdiam.
Oblivione mens suarum percita,
Correpta aliorumque inde passionibus,
Cum gaudio, ac instructa discedit simul.
Quantum juvent hi protinus considera
Omnes Tragœdi. Pauper est, hic, Telephum
Mendiciorum novit, ut factum, tulit
Sortem suam melius. At ægritudine
Furoris actus, novit hic Alcmæonem.
Oculus dolet, cæcos dolet Siphinidas.
Defunctus est cui filius, Niobe statim
Solatur hunc. Si claudus es, Philoctetem
Videt, Senex miser, videbis Oenem.
Majora demum, quàm quis passus est, mala
Cùm cæteris injuncta spectet, ipse fert
Quæcunque sors huic attulit non dulcia.

PER ACCIDENS.

Carminum accommodatio. E

Recta, Apta, Opportuna.

☞ *Versuum opportunitas, non tantùm gratiam, verùm etiam utilitatem nonnunquam continet: Plut. lib. 9. Convival. q. 1.*

Homeri tanta existimatio fuit olim, ut illius versibus civitates inter se de finibus contendentes, tanquam incorruptissimi, & sanctissimi testis, uti non vererentur. Ætoli Calydonem obtinuerunt ab Æolibus, quoniam in Catalogo naulum Homerus Calydoniorum sub Ætolis meminisset. Similiter Abideni Sestum ab Athenienſibus receperunt, propter hunc vers.

ἢ σπεῦν ἢ ἀβυδον ἔχον ἢ δῖαν ἀρίσβην.

Milesiis cum Prienenſibus de Mycale contendentibus patrocinio fuerunt Homerici versus:

οἱ δ' μίλητον φθιμένων τ' ὄρος ἀκριτόφυλλον,
Μαιάνδρου τε ῥοάς, μυκάλης τ' αἰπεινὰ κάρηνα.

Solon denique Athenienſibus Salaminem adjudicavit, quod Ajax Salaminiorum Dux Athenienses, teste Homero, secutus esset. *Eustathius Iliad. β.* ubi & hoc addit, legibus sancitum fuisse à quibusdam civitatibus, uti Homeri Pœotiam, hoc est, Catalogum navium, pueri memoriæ commendarent: & inter eos Cerdiam quendam hoc patriæ suæ consuluisse scribit. Homerum enim veras genealogias, & chorographias, & priscas maximè urbium appellationes sequi. Eoque factum, ut & Apollodorus Athenienſis XII. libris, & Menogenes XXIII. commentarios in Bœotiam scripserint. F

Rhapsodus quidam, in Ptolemæi nuptiis, cùm ororem duceret uxorem, ac rem existimaretur designare absurdam, & nefariam, auspicatus est à carminibus illis:

Jupiter affatur Junonem, quæ fuit illi
Et soror, & conjunx ——

Plutarch. lib. 9. Quæst. conv. 1.

Quidam apud Regem Demetrium paratus à cœna canere, cùm is ad eum filium suum puerum etiam-num misisset Philippum, sic cœpit: ἢ παῖδα μοὶ πατὴρ ἀξίως ἡρακλέους ἡμῶν πεδρέψαι. hoc est, Filium hunc, ut Hercule, nobisque est dignum, educato. *Idem.*

Anaxarchus, cùm ab Alexandro super cœnam peteretur, malis, exurgens dixit:

Te hominis petet deorum, quispiam manu. Idem.

Omnium commodissimè Puer Corinthius captivus, cùm urbs illa excisa esset, & L. Mummius ex ingenuis pueros, qui literas nosset, jussisset se inspectante scribere, versum scripsit: G

Ter Danai, atque quater, qui tum perire, beati.

Namque ita commotum fuisse, ut lachrymas profunderet, perhibent Mummium, omnibusque, qui puerum genere contingebant, libertatem concederet. *Idem.*

Theodori tragœdi Uxor, concubitum ejus, instantibus ludis, non admiserat. Ut verò palmam consecutus ad eam est ingressus, complexa illum ait:

Agamemnonis proles tibi illa nunc licent. Idem.

Aristoteles cùm judiciorum metu Athenis profugisset, interroganti cuidam. Qualis esset civitas Athenienſium? respondit: Pulcherrima, sed in ea (quod de Alcinoi hortis scribit *Homerus*)

ἔχει ὑψηλὴ γηρώσκει, σύκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

pyrus super pyrum, & ficus super ficum confenescit: sycophantas intelligens. *Ælian. de Var. hist. lib. 3.*

Antigonus Asiæ Rex auctor fuit Demetrio Poliorceti F. admodum juveni, ut Philam, Antipatri Macedoniæ Regis F. Crateri, quem præ omnibus Alexandri successoribus Macedones dilexerant, viduam, multò licèt ætate majorem duceret, Abhorrenti dicitur in aurem hoc Euripideum insusurrasse: H

ὅπου δὲ κέδος, ὧδε φύσιν γαμητέον.
Ubi lucrum suades, reluctetur licet
Natura, ducas conjugem.

Ubi, γαμητέον ducas conjugem, pro, δουλωτέον servias, scitè subjecit. Sed is eum illi habuit honorem, ut impudenter cum multis scortis, & liberis etiam mulieribus confuseceret. *Plut. in Demetrio.*

Cn. Pompejus post aciem Pharsalicam in Ægyptum fugiens, ut transiturus ex triremi erat in navem piscatoriam, quam Rex miserat, converfus ad uxorem, & filium, aliud nihil quam hoc Sophoclis dixit:

Quisquis domum elatam tyranni accesserit,
Fit illius servus, veniat liber licèt

Ut transcendit in eam, gladio ictus, uno edito suspirio, nihil

locutus est, sed obvelato capite permisit se percussoribus. *Plut.*
A *in Apophth.*

Phavorinus Philosophus exercendi ingenii gratia laudans Febrem quartanam, Hesiodi illum versum scitè accommodavit:

ἄλοτε μὲν βῆσαι πέλει ἡμέρα, ἄλοτε μήπω.

Nam cùm ita fit, ut in rebus humanis benè, aut malè vice alterna fit: hæc febris biduo medio intervallata, quantò est fortunatior, in qua est *μία μητρυιὰ, δύω μητέρες*; *Gell. l.17. c.12.*

A Sexto memoriæ proditum est, Sostratum, doctum, & acutum virum, cùm missus foret à Ptolemæo ad Antigonum, ut rem, si posset, Regi illi suo accommodatam, ab eo extorqueret, negante ipso, obtinuisse quod volebat statim, his tantùm Homericæ Iliadis versibus pronunciatis:

Οὖπω δὴ κύλικα γαιόχῳ, κυανοχαίτῃ,
τόνδε φέρω δὲ μέδων ἀπιλώατα κρατερόφρων,
ἵππ μενεπτόλεμον, τρίτῳ μὲν δὲ φρένες ἔδμον,

Auditis enim illis, consilium mutasse Antigonum, uti etiam Neptunus, cùm jussus ab Iride discedere subitò è prælio, parere nollet, & elato animo respondisset, ipsa illis verbis ita versavit animum ipsius, ut protinus dicto audiens Jovi fuerit.

B *Victorius lib.34. Var. lect. c.18.*

Dion. in 37. libro Historiarum facit sequentes versus Herculeos à M. Bruto pronunciatos, cùm desperatis suis rebus, ne in manus adversariorum veniret, ignominiam illam morte vitavit. Ait igitur: *ὦ τλήμων ἀρετὴ λόγος ἆρ' ἦσθα ἄκουε, ἐγὼ σὲ ὡς ἔργον ἠσκουν, σὺδ' ἄρ' ἐδέδιλας τύχην*, hocque dicto notavit quendam, ut se interficeret. At *Plutarch.* duos versus Græcos commemoravit pronunciatos fuisse à M. Bruto, conversis in cœlum, stellarum plenum, oculis: quorum alterum, qui præsens illic aderat, Volumnius hunc esse commemoravit, *Ζεῦ μὴ κλάοις, σὲ φῆμ' ὃς ἀπαυς κακῶν*: alterum verò idem affirmavit è memoria sibi excidisse. *Victor. l.23. Var. lect. c.2.*

Equites, quibus præceptum erat, ut Neronem, in suburbano Phaontis delitescentem, vivum attraherent, appropinquantes ipse sentiens, trepidantur affatus,

ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀφίκτυπος ἤκαπε βάλλει:

ferrum jugulo adegit, juvante Epaphrodito à libellis, *Suet. in Nerone.*

Centurio quidam Germanus, cùm urbs Roma capta jam
C foret, nonnulli tamen privatam domum munire vellent, cunctaque sedulò pararent, quæ ad eam tuendam facere videbantur, spectato illorum inani studio, exclamavit Maronianum illud:

Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget ——

Victorius lib.34. Var. lect. cap.18.

INEPTA, INTEMPESTIVA, IMPORTUNA.

Apud Eurip. in Andromacha, Peleus confutans orationem Menelai: accusat pravam consuetudinem Græcorum, qui cùm victoriam aliquam nacti essent, trophecque constitui deberent, finerent, ut Imperator suum tantùm illic nomen adscriberet, unique sibi eam laudem adscisceret: cùm tamen totius exercitus labore, ac virtute res benè gesta esset. Eos versus cùm Clitus in sympofio, laudes suas Alexandro ingeminante, non satis sobriùs ad eos, qui infra ipsum cubabant, retulisset, ita ut sonus magis, quàm sermo exaudiri posset, at Alexandrum itidem ebrium graviter ostendit, teste Q. Curtio, & Plutarcho in Alexandri victa. *Victor. l.28. Var. lect. c.22.*

Idem, jurgio inter eum, & Alexandrum Magnum orto, convivio excedès. mirè, & securè, & ferociter, Euripidis hosce versus ex Andromache pronuncians, In Græcia mores mali sunt
D proh dolor, ab Alexandro hasta transfigitur. *Plut. in Alex.*

Cn. Pompejo Magno fama est, à magna illa reduci expeditione, Magistrum ejus filiæ specimen dantem, cùm allatus liber esset, puellæ hujusce modi exordium præbuisse:

Et jam ex Marte redux: utinam tu illic periisses.

Plut. lib.9. Quæst. convivalium 1.

Ad Cassium Longinum cùm rumor incerto auctore filium ejus peregrè decessisse allatus esset, neque verum posset dicere, neque eximere suspicionem: Vir senatorius adiens eum natu jam grandior: Non contemnes, inquit, Longine, incertam futilitatem, & improbam famam: quasi nescias, neque legeris, hoc,

Fama semel non unquam extinguitur ulla. Idem.

Ille, qui Rhodi versum poscenti grammatico, cum in theatro ederet sui specimen, obtulit:

Abscede hinc hominum sceleri deterrime cursu.

incertum jocone insultaverit ei, an invitus erraverit. Atque hæc quidem turbam compresserunt urbanè. *Idem.*

POETICA EXERCITATIO.

HUJUS LOCI EST POETICA GENESIS. E

QUI POEMATA SCRIPSERE

Expeditè, Facilè.

L. Annæus Seneca moriens jam in solio aquæ calidæ Epitaphium carmine sibiipsi composuit.

Boethius Severinus Rom. Patricius mira in versibus facilitate. *Gyrald. in Poeticis.*

Cicero dexteritate in versibus condendis animi gratia utebatur. Dicitur cùm ad id ferretur, carmina facere una nocte quingenta solitus. *Plut. in Cicerone.*

EXTEMPORE. Αὐτοσχεδιαστικῶ Poetica.

Homerus *αὐτοσχεδιαστικῶ* faciendorum versuum facultate polluit. Licet hoc videre ex Herodoto, qui ejus vitam conscripsit. Nam ut quamlibet officinam accederet, aut cum quibusvis hominibus conversaretur, loco, temporique convenientes versus fundebat.

Æschylum proditum est memoriæ, tragœdias vino indulgentem scriptitasse: non sicut Georgias dixit hanc Septem in Thebas, quæ est una ejus fabularum maxima, Martis esse, sed sunt Liberi patris omnes. *Plut. lib. 7. Quæst.* F
convival. 10.

Callistratus Miscellaneorum libro 7. tradit, Simonidem apud quosdam æstate ferventissima, cùm pincernæ potui aliorum nivem admiscerent, ejus autem minimè, extemporè, compositum hoc Epigramma pronunciasse:

τῷ ῥαπτ' ὀλυμπιον πεῖ πλάρὰς ἐκέλυμ.μν
Ὠκὺς ἀπὸ Θρήκης ὀρύμενος Βορέας,
Ἀνδρῶν δ' ἀχλαίνων ἔθεκε φρένας αὐτάρ ἐκάμφθη
Ζεὺς πυρίῳ γὼ ὑπεσκεμένν.
Εἰ τὶς ὕμοις' αὐτῆς χίονα μέρος, ὃ γὰρ ἔσκε
Θερμῶ βακάζων ἀνδρὶ φίλῳ πρόπολον.
Quam Boreas circum latus olim texit Olympi,
E Thracia cursu concitus alipede,
Quæ nudos anxit: sed vita velanguit illi
Pierio simulac est amicita solo:
Ejus partem aliquis fundat mihi: namque sodali
Haudquaquam potum ferre decet calidum.

Athenæus lib.3. Dipnosophistarum,

Scribit *Chamæleon in lib. de Simonide*, quòd cùm apud Hie-G
ronem Simonides cœnaret, neque illi lepus, velut cæteris, appositus fuisset, sed Hieron posteà dedisset, dixit extempore:

Cùm foret ille amplus, tamen haud pervenerat ad me.

Athen. lib.14. cap.28.

Diogenem quendam Tarsensem scribit Strabo, tragœdias solitum *ἀποροιβάδων*, velut quodam instinctum oraculo effundere, argumento posito. *Cælius lib.10. c.18. Ant. Lect.*

Antipater Sidonius de quavis re extemporè versus faciebat. *Quintilian. lib.10. Inst.* Vixit tempore Cottæ, & Crassi, *teste Cic. pro Archia.*

Lucilius, teste *Horat. lib.1. Sermonum, Satyra 4.*

Emunctæ naris, durus componere versus.
—— *in hora sæpè ducentos*
Ut magnum versus dictabat, stans pede in uno.

P. Ovid. Naso Sulmonensis de seipso in 4. *Trist.* sic scribit:

Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos:
Et quod tentabam dicere, versus erat.

Boethus Tarsensis, extemporè versus effundebat potiùs,
D quàm componebat. ☞ *Vide Tit. Poetarum.* H

A. Licinius Archias, Ciceronis præceptor, sæpè cùm literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his rebus, quæ tum agerentur, dicebat extemporè: sæpè revocatus eandem rem dicebat, commutatis verbis, atque sententiis. *Cicero pro Archia.*

Masgabæ tumultum cùm ex triclinio animad vertisset, magna turba, multisque luminibus frequentari, versum compositum extemporè clarè pronuntiavit Augustus, quamvis æger,

Κτίσω δὲ τύμβον οἰσφῶ πυρίμενον.

Conversusque ad Trasyllum Tiberii comitem, contra accubantem, & ignarum rei, interrogavit, cujusnam poetæ putaret esse? Quo hæsitante, subjecit alium:

Θρᾶς φαίσι μακάβων πιμώμενον.

De hoc quoque consuluit. At cùm ille nihil aliud responderet, quàm cujuscumque essent, optimos esse: cachinnum sustulit, atque in jocos effusus est. *Suetonius.*

Q. Rhemnius Palæmon, grammaticus, & dicebat, & versus faciebat extempore. *Vide Tit. Grammaticorum.*

Lucanus

Lucanus poeta extemporè Orpheum tragœdiam recitavit
A Neronis æmulatione. ☞ *Vide Tit. Poetarum.*

Adrianus Imp. ad lacessendum pariter, & respondendum, sertò, aut joco, promptissimus fuit, prosa, & carmine. Itaque cùm aliquando poeta quidam dicacior, Florus nomine, illum inter Scythas, & Britannos versantem videret, in eum lusit:

Ego nolo Cæsar esse.
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Adrianus urbanè sic statim respondit:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Spartianus testis. Sub. Titul. Doctorum Principum, reperies versus, quos jam moriens pronuntiavit.

Galienus Imp. scelestissimus, & ignavissimus extemporanea poetices facultate polluit. ☞ *Vide Tit. Doctorum principum.*

Leo X Pont. Max. versib. extempore cum Camillo Querno, qui se Archipoetam jactabat, certare potuit. Nam cùm Querno ex podagra malè habens, ad mensam Leonis, more solito
B astaret, & ex præscripto bina saltem carmina tributi nomine persolvere cogeretur, in hunc hexametrum erupit:

Archipoeta facit versus pro mille poetis,

Demùm cùm hæsitaret, inexpectato Leo hoc pentametro perargutè respondit:

Et pro mile aliis Archipoeta bibit.

Tum verò cùm Quernus sese recolligens inferret,

Porrige, quod faciat mihi carmina docta falernum,

Leo repentè à Virgilio mutuatus subdidit:

Hoc etiam enervat, debilitatque pedes,

Jovius in Elogiis virorum illustrium.

ANAΛΥΣΙΣ. HUC PERTINENT

QUÆSTIONES POETICÆ.

☞ *Ex Titulo seq. Judicii poetici, huc quædam.*

Aratus à Timone Nicæo quæsivit. Quonam pacto Homeri poema sine menda confequi possit? Respondit Timon: Vetusta consulere exemplaria, non nova. *Laert. lib.9.*

JUDICIUM POETICUM

C *Rectum, Aptum.*

Simonides, auctore Plutarcho, *τῷ μὲν ζωγραφίαν ποίησιν εἰκασθῆναι πρεσβύτερόν τινα, τῷ δ' ποίησιν ζωγραφίαν τελεῖσθαι*: id est, Picturam tacitam poesin appellavit: Poesin autem, loquentem picturam. Proinde *Horatius*:

Ut pictura poesis erit.

Antiquitus quinque Judicibus datum erat negotium, unde comicorum fabulis pronunciarent, *ut testis est apud Zenodotum Epicharmus.*

Corinna Pindarum oppidò etiamnum juvenem, & facundiam ostentantem corripuit, ut inertem, nec fabulas condentem, quod ad poetices munus spectat. Lingua abusiones, interpretationes, modos, numeros rebus ad oblectandum suggerit. Quibus dictis magnopere Pindarus animum intendens, hoc carmen fudit:

Ismenion, aut Meliam sagittis cum aureis,
Cadmumve, sacrum aut Spartiatarum genus,
Aut Herculis robur præcelleus vincere.

Quod ut Corinna ostendit, ridens illa, Manu dixit semen spargendum, non toto culeo. Quippe reverà collectitiam quandam
D fabularum Pindarus farraginem congessit, atque in hoc carmen effudit. *Plut. de gloria Athenienshum.*

Plato juvenis etiamnum poesi oblectatus est. Posteà quam verò Socratis instinctu Philosophiæ operam dare inciperet, poemata à se in juventute composita igni tradidit, inquiens, *ἡφαιστε πρόμολ' ὧδε, πλάτων νύν σεῖο χρᾴζει.* Et si *Plutarchus* alicubi scribit, desperatione Homericæ felicitatis, & magestatis id fecisse, cùm versum illum summa cum admiratione legisset:

ὠκύνοι, βίεσιν ἐοικόμενοι ἀνέμοισι.

in quo non aures tantum sono, sed & ipsi oculi aspectu impleri videntur. Cæterùm Homeri eruditionem *lib.10. Rep.* examinat, & imitatorem tantùm sapientiæ, non effectorem esse, ipsa probat: quòd nulla opera earum rerum, quarum cognitionem habere dicitur, vulgò præstiterit. De Medicina loquitur: at Hippocrates eò major est, de Jure, & legibus: at nemo est, qui illum Lycurgo comparare ausit, de rebus naturalibus, at Thaleti conferri dignus non est, & sic de cæteris.

Alexander Macedo, si quando Homeri carminum in consabulationibus, vel inter pocula fieret contentio alio alium versum præferente, ille ut omnium præstantissimum probabat E
hunc

Ἀμφότερον, βασιλῆς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητὴς.

Utrumque insignis Rex, juxtà, ac fortis in armis:

Plut. orat. 1. Alexandri fortuna.

Tragœdiam Gorgias esse ait captionem: qua, qui deceperit, justior sit eo, qui non decepit: & deceptus non decepto intelligentior. *Plut. de Aud. poetis.*

De Tragicis loquens Fabius: Longè carius illustraverunt hoc opus Sophocles, atque Euripides: quorum in dispari dicendi via, uter sit poeta melior, inter plurimos quæreretur: id quidem sanè, quoniam ad præsentem materiam nihil pertinet, in judicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis, qui se ad agendum comparant, utiliorem longè Euripidé fore namque is sermone (quo ipsum reprehendunt, quibus gravitas & cothurnus, & sonus Sophocle videtur esse sublimior) magis accedit oratorio generi sententiis densus: & in iis quæ à sapientibus tradita sunt, penè ipsis par: & in dicendo, atque respondendo cuilibet eorù, qui fuerunt in foro deserti, comparandus: in affectibus verò cùm omnibus mirus, tum in iis, quæ miseratione constant, facilè præcipuus. Hunc & admiratus maximè, & eum secutus, quanquam in opere diverso, Menander. F

Cicero *l.1. Epist. famil.* singulos Euripidis tragicorum Principis versus, singula axiomata se putare, scribit.

Fama est, Menandro familiarem quempiam dixisse. Instant Menander Bacchanalia, nec comœdiam tu fecisti. Respondisse illum: Ego medius fidius comœdiam condidi. Digestum est enim argumentum, cui accinant versus oportet: quòd illi ipsi etiam verbis res magis necessarias, & antiquiores ducant. *Plut. de gloria Athen.*

Theodorus tragœdiarum actor ad comicum Satyrum dixisse perhibetur: Ad risum adducere spectatores, non esse rem magnam: sed ad lacrymas, & fletum. *Plut. de Suid. ipsius laude.*

Olim Quidam Archestrato Siracusano, poetæ pauperrimo, qui *γαστρονομίαν* sive *γαστρολογίαν* conscripsit, dixisse fertur: Si cui Alexandro fuisses, Archestrate, tui cujusque carminis præmiù Cyprum, aut Phœnicem tulisses. *Plut. orat. 2. de Alex. fort.*

Κωμωποιὸν Aristophanes appellat Æschylum, quasi præcipitiorum auctorem, ob grandia vocabula. *Suidas.*

Oppiani Interpres, sex per excellentiam quandam poetas hoc ordine recenset: Homerum, Eupolim, Hesiodum, Anti- G
machum, Nicandrum, Panyasin.

A stellis, quæ septem simul apparent: septem poetæ Plejas dicti sunt: inter quos unus fuit tenebrosus, & obscurus, ut inter septem eas stellas una vix apparere videatur. Isaacio Lycophronis interprete auctore, hi numerantur: Theocritus, Nicander, Callimachus, Appollonius, Homerus tragicus, Aratus, & Lycophron, qui tenebras, & eas quidem Cimmerias habere videtur: ea est enim sententiarum, & verborum plerumque obscuritate offusus, ut etiam Tzeze Isaacio, insigni Grammatico lumen præferente, vix conspici possit. Theocriti tamen enarratores Plejada, & ipsi commemorant, sed non eosdem poetas: quippe qui hos enumerent Theocritum, Aratum, Apollonium, Æantidem, Philiscon, Homerum juniorem tragicum, & Lycophronem. Fuerunt tamen & qui septem inter Tragicos eodem Plejadis nomine vocitarunt, quorum ita meminit Hephæstion in Enchiridio: Tempore, inquit, Ptolemæi Philadelphi septem insignes fuere tragici, quos Plejadum nomine vocitarunt, quòd videlicet in tragediæ poesi essent, veluti sunt Plejadum stellæ. Fuerunt verò hi, Homerus, non ille antiquus poeta, sed Myrus Byzantię poeticę filius, sum Sostheus, Lycophron, Alexander, Anantiades, Sosi- H
phanes, Philiscus. *Gyrald. Dial.3. hist. Poet.*

Philoxenus Dithyramborum scriptor, Syracusis in convivio, lecto malo Tyranni Dionysii poemate, quid de eo sentiret interrogatus, liberius paulò respondit. Tyrannus offensus, quasi per invidiam poema ejus reprehendisset (poeticæ enim studio insaniebat) confestim in Lapidicinas abduci eum jussit. Posterro verò die, Philoxeno placatus, in convivio rursus poemata sua jactans, & versus quosdam, qui feliciùs conditi videbantur, producens, qualianam ei poemata viderentur, interrogabat. Cui nihil ille respondit, sed evocatis famulis Dionysii, jussit se in Lapidicinas duci. Ad quem sermonis leporem subridens Dionysius, libertatem eam tunc tulit, risu reprehensionem obtundente. Paulò post Tyranno commemorante versus quosdam commiserationis affectum sæpius exprimentes, interrogatus Philexenus, Qualianam sibi hæc poemata viderentur: respondit, Miserabilia. Dionysio responsum placebat: quia putabat

dicere